INSTITUTIONUM
JURIS CANONICI
LIBRI III.

A MAURO MARTINO

AVERSANAE CATHEDRALIS ECCLESIÆ CANONICO, ET IN SEMINARIO JURIS UTRIUSQUE ANTECESSORE AD EJUSDEM SEMINARII USUM

CONCINNATI,

ET XAVERII DURINI

AVERSANORUM EPISCOPI

JUSSU IN LUCEM EDITI,

TOMUS UNICUS.

NEAPOLI.

EX TYPOGRAPHIA GALLICANA

M DCCC. XXX.

FRANCISCO. XAVERIO. DURINO.
CUI. AVITA. NOBILITAS. VIRTUTEM.
VIRTUS. MARSORUM. PRIMUM.
MOX. AVERSANUM. EPISCOPATUM.
COMPARAVIT.
MAURUS. MARTINUS.
AVERSANAE. CATHEDRALIS. ECCLESIAE. CANONICUS.
ET. IN. AVERSANO. CLERICORUM. SEMINARIO.
JURIS. UTRIUSQUE. ANTECESSOR.
JURIS. CANONICI. INSTITUTIONES.
IN. EJUSDEM. SEMINARI. USUM.
CONCINNATAS.
D. D. D.

QUONIAM apud omnes ferme populos usus invaluit, ut qui sui ingenii foetum in lucem ederet, is studio quodam, atque illecebrosa assentatione eidem vindices, favitores, patronos compararet. Itaque ergo Juris Canonici Institutionibus in tui Seminarii usum concinnatis, typisque evulgandis quemnam patronum fausta nuncupatione adsciscerem, non multa, amplissime Praesul, disputavi. Summo enim jure, Summo quoque viro plaudente, hoc quale illud cumque siet, Tibi uni debebatur. Nonne hae juris Canonici Institutiones, Te Duce, Te Auspice, elaboratae sunt, atque perfectae? Nonne Illas in Seminario, quod Tecum unitatem facit, natas, atque altas esse compertum est?

Nonne Illarum ad ingenuam Ecclesiasticam juventutem excolendam editionem summopere studuisti? Nempe ex quo Aversanae Ecclesiae gubernaculo admotus es, cum in eo omnem curam collocaveris, ut Seminarii studia ita dirigerentur, ex quibus adolescentes veriorem fructum perciperent: cumque multo labore, magnisque impensis, vel ex optimis scriptoribus Italicis in Latinum nonnullarum scientiarum imperatis translationibus, vel novis ad utilitatem Adolescentum mirifice conducentibus, Te jubente, compositis libris, id plane assecutus fueris, ut ad absolutam literariam Seminarii educationem nihil videretur desiderandum, unum reliquum optabas, ut ejusmodi Institutiones utriusque juris adornarentur, quae neque nimis laxae, neque multum breves intra unius anni spatium, vel ante, vel post cursum Theologicum, juxta studiorum methodum a Te, universis plaudentibus, sapientissime constitutam absolvi possent. Hinc, quae tua humanitas fuit, mihi in mandatis dedisti, ut ea concinnarem, perficeremque. Verumenimvero praeter id, quod mihi cum ceteris intercedit commune, non pauca momentosiora ad idem me conciverunt, incitarunt, inflammarunt. Missis heic loci tot perpetuis tuae erga me benevolentiae significationibus, illud silentio praeterire haud animus jubet: quod scilicet tuo beneficio, tuaque ingenua benefaciendi vi in amplissimum Cathedralis tuae Ecclesiae Canonicorum Collegium venerim. Quamobrem si ego Illas in tuam clientelam, tuumque patrocinium non commendarem, certo verendum esset, ne ingrati animi vitium mihi apud posteritatem redundaret. In hac ergo vehementissima animi mei contentione malui potius me a tua modestia in adulationis suspicionem vocari, quam nomini meo ingrati animi notam meo silentio inuri. Sed quorsum pleraque? Sane, amplissime Praesul, unum illud est, quod Tu mihi jure quereris; quodve a me peccatum esse et sentio, et fateor lubentissime. Quod Illas, Te invito, Te inscio, tuo nomini inscribere ausim. Ast mihi non modo hac in re indulgendum est, sed etiam uti praeclare intelligis, apud te

non parum prudentiae mihi accessurum esse confido. Si enim Te per memetipse, interpretemve de illarum suscipiendo patrocinio adgrederer, cui dubium esset, quin vel ego de meo proposito deturbandus essem, vel tuae modestiae vis esset inferenda. Quapropter Institutiones juris Canonici tuae gratiosae clientelae sese committunt. Illae Te ut Praesulem suspiciunt: utque Patronum loco sui parentis amantissimi habent, ac venerantur. Tu contra benevolentia Illas complectere; benignitate fove; tuaque placabilitate ab iis ardelionibus, qui quotidiano in otio occupati coelum vituperant, vindicato. Igitur ne amplius Te morer, amplissime Praesul, unum illud a misericordiarum, ac luminum Parente oro, plurimumque obtestor, ut Te Aversanae Rei bono natum, Teque ad Christiani gregis formam exactum quam diutissime et servet incolumem, et sospitem ad aeternam felicitatem restituat.

LECTORI BENEVOLO.

En grato accipe animo, benigne lector, juris Canonici Institutiones a Mauro Martino Aversanae Cathedralis Ecclesiae Canonico, ac utriusque juris Antecessore in ejusdem Ecclesiae Clericorum Seminario novissime concinnatas. Noli maledico, invidoque dente eas carpere, aut tritam inurere notam iterum Iliada post Homerum scripsisse, vel noctuas Athenas tulisse. Quamvis enim apud omnes in comperto est alios praestantissimos juris Canonici auctores novas Institutiones in melius adornasse, ac in vulgus emisisse, tamen illae aut nudae, exiguaeque molis sunt, nullamque rationem sectantur, aut unis viris doctis scriptae esse videntur. Hinc saepe factum est, ut adolescentuli aut cognitionum copia carentes, aut librorum mole perterriti, aut rerum abundantia, ac varietate oppressi cum maximo tam suorum, quam totius sacri gregis detrimento neglexerint studia juris Ca-

nonici, cujus cognitio tam utilis, tamque necessaria semper visa fuit, ut apud Graecos Codex Canonum una cum libro Evangeliorum ad decidendas quaestiones adhiberetur, uti inquit Joan. Dovjat praenot. Canon. lib. III. cap. 3. n. 5. Huic porro malo consuluit Auctor, et duce Fabio Quintiliano, apes ingeniosas imitare sategit, quae huc illuc vagantes flores carpunt, et quidquid colligunt, in suos favos inferunt, ut in dulcissimum mel convertant. Itaque in usum studiosae juventutis, cui uni perspicua brevitate consultum ivit, hocce opus ab Auctore adgressum, inceptum, absolutum, ac typis jam jam commissum, sed repentino fato cum omnium moerore raptum, ac veluti Endymionis somno absorptum, sui Germani Pauli Martini haud parva cura, ac diligentia ipsummet opus jam praelo impositum, perfectum, divulgatumque est Quòad methodum vero ordinem Juris Civilis sequutus est, quaestiones parum utiles omisit, et res, quae nullius fere usus hodie esse solent, praetermisit. Habes igitur, benigne lector, hujusce posthumi instituti rationem. Vale.

INSTITUTIONUM
JURIS CANONICI.

LIBER I.

PRODROMUS HISTORICUS.

Rei canonicae elementa explicanda adgrediens, operae pretium me facturum existimo, si praecipuas canonum collectiones ordine tantum, ac strictim percurrendo ob oculos ponam. Itaque ergo prima canonum, cujus mentio in Ecclesiasticis monimentis occurrit, est collectio, quam dicunt canonum Apostolorum, qui quidem apud Latinos L., apud Græcos vero LXXXV. numero censentur. Missis heic loci Catholicorum, ac Novatorum de eorumdem auctoritate opinamentis illam asserimus non esse genuinum Apostolorum opus, sed procusam in diversis III. et IV. Saeculo orientalibus Synodis, quae ante Concilium Nicaenum celebratae sunt: quam dein multis in locis ab hæreticis foedatam catholici Scriptores jure merito quaeruntur. De illa Photius praefatione sui *Nomo-*

canonis haec habet: ει και τινες αυτους αμφιβολους δια τυνας αιτιας ηγησαντο: *quamvis quidem illos dubios ob aliquas causas habuerunt.*

De Constitutionibus sic dictis Apostolicis idem judicium, quod de collectione canonum Apostolorum latum est, tulerunt eruditi.

CELEBRIORES CANONUM ECCLESIAE ORIENTALIS COLLECTIONES.

Variae pro temporum, et locorum varietate canonum collectiones emerserunt. Ac primo quidem Ecclesiam orientalem medio saeculo V. suum habuisse canonum codicem nos edocet actio IV. et XI. Concilii Chalcedonensis. In ea enim perpetua temporum serie digesti, tamquam unius essent concilii, videntur XX. canones Concilii Nicaeni I. XXIV. Synodi Ancyranae: XIV. Neocaesareensis: XX. Gangrensis: XXV. Antiochenae: LIV. Laodicenae: III. Constantinopolitanae I. Postea accesserunt LXXXV. Apostolorum: XXV. Concilii Sardicensis: VI. Constantinopolitani I. (quippe priori codici tres tantum inserti erant) VIII. Ephesini: XXIX. Chalcedonensis: et LXVIII. S. Basilii. Quibus ex omnibus Joannes

Scholasticus, Antiochenus Presbyter, et sub Justiniano Constantinopolitanus Patriarcha alteram Canonum Collectionem in L. titulos distributam adornavit: eamque per materiam distinxit. Canonibus singulis leges ex Justinianeo codice, et Novellis excerptas adjecit, quam collectionem *Nomo-Canonem* adpellavit. Mox saeculo VII. exeunte in Synodo Trullana novus canonum codex editus est, in quem, Scholastici codice confirmato, canones in ea Synodo conditi, praecipui Ecclesiae Africanae canones Graece redditi, quorumdam Patriarcharum, Episcoporum epistolae conjecta sunt. Porro quis praeterire quiverit celebratissimam Photii canonum collectionem, etiam *Nomo-canonem* nuncupatam? Photius ingenio maximus, et eruditione, sed ad tricas natus, ad dolos factus, perfidia plusquam Graeca, cujus astu infinitum interque utramque Ecclesiam Schisma conflatum est, suum opus in XIV. titulos divisit, et unumquemque titulum in capita partitus est. Photius Scholastici vestigia premens singulis canonibus leges civiles illis conformes adtexuit. Photianus *Nomocanon* tanti apud Graecos fuit, ut reliquis canonum collectionibus praeferretur. Post Photium non defuere alii canonum collectores, uti Con-

stantinus Hermanopulus, Theodorus Abbas, Simeon Logotheta, Aristenus, aliique, a quibus ne Graeci Schismatis lue afflaris, valde cavendum est.

Collectiones canonum ecclesiae occidentalis.

Ecclesia Romana, qua nulla unquam nec potestate major, nec moribus sanctior, nec majorum institutis ditior fuit, a primis orsis avita potius consuetudine, quam constitutionibus vixit, et procusis canonibus.

Primam canonum collectionem adgressus esse fertur Dionysius cognomento Exiguus. Haec collectio corpus canonum ἁπλῶς appellata, in duas partes tributa est. In quarum primam L. canones Apostolorum, Canones Nicaeni, Africani, et qui in prima Graeca canonum collectione continebantur, diversis sub sectionibus conjecti sunt: in alteram vero Decretales R. P. a Siricio usque ad Hormisdam. Verum etiamsi Dionysianum codicem Ecclesia Romana, aliaeque occidentis Ecclesiae amplexae sint, tamen saeculo VI. prodit in Galliis antiquus codex Ecclesiae Gallicanae, et saeculo VIII. et IX. Capitularia Regum Francorum: in Hispaniis

codex Martini Archiepiscopi Bracarensis sexto sæculo exeunte : et ineunte VII. saeculo alter ab Isidoro Hispalensi conditus est. Apud Afros codex Ecclesiae Africanae apparuit; cujus ad exemplum Fulgentius Ferrandus, Diaconus Carthaginiensis *Breviationem canonum*, et Cresconius Episcopus Africanus *Breviarium canonum* saeculo VII. ad finem vergente digesserunt.

Sub eadem ferme tempestate nescio quo fato emersit Collectio Jsidori, seu *peccatoris*, seu *mercatoris*, quae tribus, et triginta Pontificum, qui ante Siricium P. floruerunt, Decretalibus, aliisque sex, et sexaginta inter genuinas posteriorum Pontificum epistolis dispersis confecta est. Decretalibus adpinxit Isidorus Acta Synodoruum sub Julio I., sub Silvestro item I; et sub Symmacho RR. PP. celebratarum. Ceterum in hoc suscipiendo negotio sive pietas adversus R. Ecclesiam, sive animus fallendi incessit Isidorum, consule Clm Carolum Blaschum libello de Collectione Isidori Mercat:

In Germania x. saeculo a Reginone, Monacho Benedectino editum est opus in duas partes tributum, quod de *judiciis Ecclesiasticis*, *et de religione christiana* inscripsit. Sub eadem tempora Burkardus Wormatiæ Episcopus *Magnum De-*

cretorum Volumen; et Ivo Cartonensis Episcopus *Pannormiam* primum, deinde Decretum composuerunt.

HODIERNUM JURIS CANONICI CORPUS.

Jus canonicum, quod novum dicitur, auctorem agnoscit Gratianum, Monachum professione, patria Clusinum, natione Etruscum, qui an. 1151 opus improbo studio consarcinavit, in tres partes more Scholasticorum partitus est, et *concordantiam discordantium canonum* appellavit, quod vulgo Decretum audit. Prima pars de *personis* agit, et CI. *distinctiones* continet: altera de *judiciis ecclesiasticis*, et XXXVI. causas complectit: tertia de *rebus sacris*, et in V. *distinctiones* divisa est.

MANTISSA.

Vocabulum *Palea* nonnuliis canonibus praefixum indicat cujusdam non obscuri auctoris nomen, qui nonnullos canones utilitate praestantes Gratianeo codici adjecit.

Ex constitutionibus a Gratiano omis-

sis, et a posterioribus Pontificibus editis, et in quinque collectionibus consutis Gregorius IX. opera usus B. Raymundi a Pennaforti novum Decretalium Codicem composuit, quem a suo nomine inscripsit. *Decretalium Gregorii IX. Papae compilatio.*

Huic accesserunt totidem libri a Bonifacio VIII. per tres viros collecti, quos *sextum Decretalium* appellari jussit.

His adjectae fuerunt Clementis V. constitutiones, quae appellantur *Clementinae*. Item et constitutiones Joannis XXII, quae vocantur *Extravagantes,* propterea quod vagantur extra corpus juris, quod Clementinis clausum credebatur. Aliae Extravagantes vero ab aliis dein R. Pontificibus editae, quae usque ad Sixtum IV. pertinent, appellantur *Extravagantes Communes.*

Jus canonicum novissimum.

Quidquid a Sixti IV. temporibus ad haec usque tempora pro recta Ecclesiae administratione statutum est, jus novissimum audit: idque vel commune est, et generale, vel cujusque populi proprium est, et peculiare.

Commune jus habetur.

1.° Concilium Tridentinum; quod medium orbem agente saeculo XVI. adversus impotentissimi Lutheri, Calvini, aliorumque maleferiatorum insanos errores coactum est.

2.° Bullae, a sigillo quod adpendi solet, ita appellatae sunt. Quae quidem de gravioribus negotiis, crassioribus membranis, charactere Theutonico inscriptae per Cancellariam Apostolicam feruntur. Huc referuntur *Brevia*, quae in albis membranis, Latino charactere, pro levioribus negotiis, sub Annulo Piscatoris, per Secretarium Brevium expediuntur.

3.° Regulae Cancellariae, quibus ratio quaedam expediendorum in re beneficiaria negotiorum praescribitur. Hae Regulae a Joanne XXII. primum invectae; dein a Nicolao V., ejusque successoribus partim auctae, partim immutatae; demum ab Innocentio X. titulis LXXI. inclusae promulgatae fuere. Verum quoniam instar edicti Praetorii ferantur, mortuo Pontifice, expirant; et a novo Pontifice altero, quo pontificatum init, die probatae, et in Cancellaria publicatae, reviviscunt.

Jus proprium, et *peculiare* cujusque populi sunt pacta quædam, quae inter PP. et Principes conventa Ecclesiasticum

regimen spectant, quae vulgo dicuntur *Concordata*, uti inter Nicolaum v; et Fridericum I. pro Germania an. 1447. Inter Leonem x. et Franciscum I. pro Galliis an. 1526 *et cet.* Verum saeculo XVIII. ad finem vergente, Europa universa inauditis bellorum, ac turbarum procellis conquassata, Pientissimi Reges, pacatis rebus, novas conventiones cum Summis Pontificibus optimo quoque plaudente inivevunt, et concordiam, qua fieri potuit Sacerdotium inter, et Imperium conciliarunt.

INSTITUTIONUM

JURIS CANONICI.

LIBER I.

TITULUS PRIMUS.

De jure divino, naturali, et positivo.

I. Quoniam sacri canones sæpe jus divinum sive naturale, sive positivum vel involutum evolvunt, vel in integrum restituunt, vel denique ex alterutro, vel ambobus consequentias deducunt quisque videt ad peritissimam juris Canonici cognitionem plurimum conferre, juris divini sive naturalis, sive positivi indolem, et proprietates co-

gnoscere. Facilius enim fluminum cursus diriget, qui fontes perspectos habet, quam qui illos ignorat.

Jam vero omnium primum vocabulum jus a *Δεον* originem habere sibi persuasit Menagius (1): a *Jove* Scipio Gentilis (2), et Grotius. (3) Attamen pronior est hujus vocabuli originatio, est a *jubendo*. Veteres enim apud Festum jura dicebant jusa, et jussa, quia scilicet id, quod populus jussisset, continerent. Et licet hoc vocabulum sit *πολυσημον*, idest *multiplicis significationis*, tamen princeps hujus vocis notio regulam designat, quae aut hominum actiones ad id dirigat, quod bonum, aequum, et justum est, aut ab eo, quod malum est, iniquum, et injustum, avertat. Jus igitur hac notione acceptum definitur. *Complexio legum omnium unius, ejusdemque generis*. Quamobrem quales sunt leges, tale inde jus, jurisprudentia, justitia emergit. Cum vero leges vel divinae sint, vel humanae prout vel Deum ipsum, vel hominem cieant auctorem, hinc jus vel divinum est, vel humanum.

Porro cum Deus suam aeternam voluntatem vel per rectam rationem, vel per sacras litteras promulgarit, duplex jus divinum ortum est, naturale scilicet, et positivum. Duplex quoque est jus humanum, civile scilicet, et Canonicum, quod et Ecclesiasticum, et Pontificium appellatur. Praeterea jus tam civile, quam canonicum in scriptum *εγγραφον*, et non scriptum *αγραφον* dividitur: id quod jam viderat Aristoteles,

---

(1) *Amaenitate juris cap. XXXIX.*
(2) *Origin.*
(3) *Proleg. juris B. et P. §. XIX.*

qui jus vocat το κατα γραμματα και το κατα ηθη hoc est, *secundum scripta*, et *secundum mores*, Nos hic de singulis, et breviter dicere adgredimur.

II. Jus divinum naturale definiri potest: *Legum complexio a Deo per rectam rationem universo generi humano promulgatarum circa ea, quae facienda, vel omittenda sunt.* Quamobrem recta ratio est illud, per quod nobis leges suas suprema ratio aperit. Hinc quae jure naturae hominibus praecipiuntur, vel prohibentur, sunt ad legem comparata vel bona, vel mala, hominemque vel servant, perfectioremque reddunt, vel destrunt, deterioremque faciunt. Quo factum est, ut quae bona sunt, mali; quae vero mala, nunquam boni induant naturam. Et sane cum naturae leges in immutabilibus supremae mentis regulis scriptae sint, Dei voluntas eas leges jubet, quas ipsa mens dictat. Quamobrem naturae leges divina voluntate praeceptae adamussim illis immutabilibus regulis, quas Deus ab aeterno cognoscit, respondent. Igitur sicuti regulae illae immutabiles sunt, immutabiles quoque sient necesse est naturae leges. Porro cum Deus in sua sapientia, et sanctitate sit quoque immutabilis, fieri nequit, ut quae optima, justa, et aequa jussit Deus, unquam pessima, injusta, et iniqua evadant. Ad rem et elegantissime Cicero (1): *Est quidem vera lex, recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium*

---

(1) *Lib. III de republica apud Lactan. Inst. Divin. lib. IV. cap. 8.*

jubendo : vetando a fraude deterreat. Huic legi nec abrogari fas est, neque derogari ex ea aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per Senatum, aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est quaerendus explanator, aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed et omnes gentes, et omni tempore, una lex, et sempiterna, et immutabilis continebit. Ast si quae jure naturae constituta mutationem aliquando subire visa sint, in hoc non jus naturae, sed res ipsa, de qua jus illud constituit, mutata est. Hinc ex Scholasticorum scitis quaedam ita a jure naturae vetita sunt, ut nulla unquam περιστασει circumstantia cohonestari possint, uti sunt mendacium, perjurium, prava in Deum voluntas: quaedam vero non item, ut homicidium, furtum, *et cetera*: in hisce enim casibus legis materia, non lex; objectum legis, non ejus forma mutationi subjacet.

III. Jam vero cum Deus omnia propter semetipsum operatus sit, omnesque, quos condidit homines, velit esse quam felicissimos, consequitur humanam felicitatem sine ordinata caritate constare non posse. Hinc ordinata caritas erga Deum, erga nos ipsos, ceterosque homines erit verum, evidens, et adaequatum principium, quo et divinae voluntati per rectam rationem praecipienti, aut vetanti obtemperabimus, et ipsam felicitatem adsequemur.

IV. Porro nos per ordinatam caritatem vel *perfecte*, vel *hypothetice*, vel *imperfecte* ad quaedam agenda, vel omittenda obligamur: hinc ergo officia promanant vel *perfecta*, sive *absoluta*, vel *hypothetica*, vel *imperfecta*. Prima **dicuntur officia justitiae: ultima humanitatis,**

et beneficentiae; media vero nunc justitiae, nunc beneficentiae nuncupantur.

1.° Officia justitiae sunt, e. g. Deum interno, atque externo cultu venerari, seipsum servare, alium non laedere, jus suum cuique tribuere.

2.° Hypothetica sunt non praetermittere quaedam divini cultus indicia, alias non praecepta, si eorum praeteritio aliis animae detrimentum afferat. Sic Daniel statis horis preces versus Hierusalem fundere non omisit: quamvis contra urgeret regis praeceptum. Idem de tot innumeris martyribus sit dictum.

3.° Officia humanitatis, et beneficentiae sunt indigis, quae nobis supersunt, largiri; alterum ope, vel consilio juvare, aliaque similia.

V. Ex hactenus dictis facile est definire jus gentium: *quod est ipsissimum jus naturae vitae hominis sociali, et negotiis tam publicis, quam privatis societatum, integrarumque gentium ordinati amoris vinculo conjunctarum adplicatum.* Porro non abs re nostra erit heic nonnulla animadvertere.

1.° Status generatim acceptus est qualitas, per quam res unaquaeque limitatur: adeoque qualitates, per quas ipse homo limitatur, status hominis nuncupantur. Et quemadmodum vires animi, et corporis ab ipso rerum conditore; actiones vero hominum liberae per legem limitantur, ita duplex exurgit hominum status, *physicus* scilicet, e *moralis.* Quare de jure gentium, quod in actionibus liberis dirigendis versatur, agentes, non *physicum* hominis statum, sed *moralem* contemplamur. Praeterea status moralis vel hominibus connatus est, vel ab aliquo hominis facto dependet. Prior dicitur *naturalis*: *adventitius* nuncupatur posterior. Itaque ergo status naturalis est quali-

tas, sive conditio a natura ipsi homini sine hominis facto imposita, in qua ipsæ hominis actiones a lege naturali limitantur. Contra vero status adventitius est qualitas, sive conditio, quam homo sibi facto suo eligit: in qua liberae ejus actiones, prout illius status, indoles, et conservatio exigit, lege limitantur; quo fit, ut homo in statu naturali justitiæ dumtaxat officia præstare debeat: in alio vero statu etiam ad humanitatis, et beneficentiæ officia praestanda obligetur. Ab uno igitur, eodemque principio duplex jus oritur, jus scilicet *naturae*, et *jus gentium*.

IV. Ut doctrina de utroque jure a nobis exposita magis elucescat, haud inutile erit heic observare, quibus de causis, quibusque gradibus ad ineundas societates animum appulerint homines. Itaque quamvis inter homines alter præ altero vel perfectior, vel imperfectior sit, natura tamen intèr se æquales sunt. Etenim iisdem essentialibus partibus, *anima* scilicet, et *corpore* constant. Ergo status naturalis est status æqualitatis. Cum vero æqualis in æqualem nullum jus habeat, consequitur statum naturalem esse statum libertatis. Ad rem Varro (1). *Natura in humanis omnia sunt paria.*

Quid igitur homines ab æqualitatis, et libertatis statu ad statum inæqualitatis, scilicet ad societates impulit? Jam vero antequam ad postulata veniam, nonnulla præmittantur oportet: et quidem.

1.° Societas est plurium consensus in eundem

(1) *Apud Nonium 11. 98.*

finem, et in eadem media ad propositum finem obtinendum necessaria.

2.° Societas sine rectore, et subditis fingi non potest.

3.° Societas vel simplex est, vel ex pluribus simplicibus composita. Jam vero ex sacra Historia constat Deum homines, ut se invicem juvarent, in simplices societates conjunxisse: ipsos vero homines, ut se invicem tuerentur, in compositas societates coaluisse. Etenim cum Deus vidisset non esse bonum, hominem esse solum super terram, fecit Evam adiutorium simile illi (1): Igitur filiorum cum parentibus societatem ipse Deus instituit, ut filii ab illis, a quibus vitam accepissent, educationem haberent.

Porro Adami filii, Deo probante, et necessitate exigente, compositam societatem inierunt. Etenim Cainus cum ob necem fratri suo Abeli inlatam a Deo, atque hominibus timeret, omnium primus civitatem instituisse videtur (2): idque adeo verum est, ut ipsa Romanorum civitas non aliunde exordia sua habuerit, quam ab iis, qui vel novarum rerum cupidi, vel alieno ære gravati, aut aliis facinoribus pressi ad apertum a Romulo asylum confugerant.

VII. Omnium societatum sive simplicium, sive compositarum suprema lex est, ut socii ad ea omnia vel dicenda, vel agenda obstricti sint, quibus positis veluti mediis facile obtinetur finis, quem vel natura, vel societas, ratione dictante, sibi proposuit: et ad ea omnia vel tacenda, vel omittenda, quae societatis fini adversantur. Hinc

---

(1) *Genes. II. 18.*
(2) *Genes. IV. 17.*

ex dictis facile hæ consequentiæ deducuntur.

1.° Cum sine consensu nulla stare possit societas; cumque consensus esse possit vel expressus, vel tacitus, vel præsumtus, factum est, ut societates triplici ratione coalescere possint. Sic *expresse* in societatem convenerunt, qui primum urbes, vel oppida condiderunt. *Tacite*, qui in urbibus, oppidisve jam conditis nascuntur, vel qui ex una in aliam urbem cum rebus suis commigrant. *Praesumtive* denique sunt filii, qui cum parentibus societatem ineunt. Praesumitur enim liberos cum parentibus nolle non posse in societate vivere.

2.° Cum quælibet societas consensu vel expresso, vel tacito, vel praesumto ad certum finem tendere debeat; cumque fines alii, atque alii esse possint, consequens est alia, atque alia esse societatum genera. Hinc si justus, ac licitus est finis, licita quoque, et justa erit societas: si vero injustus erit, atque illicitus finis, injusta, atque illicita societas erit.

3.° Cum interdum non singuli homines, sed integrae jam constitutae societates eundem finem, eademque media ad eundem finem obtinendum necessaria animum intendant, fit, ut ex minoribus societatibus tanquam individuis majores, et majores societates compositae coalescant: sic ex: gr: ex familiis pagi, ex pagis urbes, ex urbibus regna, atque imperia coaluerunt. Sic quoqne ex pluribus Ecclesiis per universum orbem constitutis una tantum coalescit Catholicae Ecclesiae Christiana Respublica.

VIII. Jam vero jus positivum, sive revelatum est, quod non uno rationis lumine innotescit, sed a Deo hominibus per sacras litteras promulgatum est; idque in *universale*, et *particulare*

dividitur. Illud universum genus humanum tenet; hoc vero tantum Judaicam gentem. Deinde jus a Deo per Moysen perlatum ex communiori sententia tres in partes dispescitur, *judiciale* nempe, *caeremoniale*, et *morale* juxta illud Deuteronomii (1) *Loquar tibi omnia mandata mea; et caeremonias, atque judicia.*

1.° *Judicialia praecepta* externam Hebræorum politiam spectabant. Deus enim ex omnibus gentibus Abrahami posteros sibi segregavit, (2) tanquam in peculium. Hinc Deus tanquam dux, et rector illius gentis proprius, leges ejusdem indoli, ac moribus conformes promulgavit. Quare Hebræorum rempublicam Θεόκρατιαν potius, quam δημοκρατίαν, aut Αριςοκρατιαν repræsentat: et ob id jus illud Hebræorum tantummodo gentem obstringit.

2.° *Caerimonialia praecepta* divinum cultum, sacrificia, ritusque constituunt, eoque spectabant, ut Jesum Christum ex ea gente proditurum non obscuris signis indicarent: unde orto jam Christo, ejusque Evangelio satis promulgato, evanescere oportebat; quinimmo iis, qui ea colerent, mortifera evaserunt. *Lex enim*, ait Apostolus, (1) *paedagogus noster fuit in Christo.*

3.° *Praecepta moralia* sunt ipsummet jus naturæ; quod a Deo hominum cordibus inscriptum, sed pravis hominum moribus fere deletum, nova per Mosen in lapideis tabulis promulgatione in integrum restitutum est. Verum vanis deinceps, erroneisque Hebræorum traditionibus turpatum, a Chri-

---

(1) *V. 31.*
(2) *Exod. XVIII. v. 5.*
(3) *Epist. ad Gal. c. III.*

sto iterum explanatum est, ac veluti jure postliminii in suo orbe collocatum. Quod si nonnulla tum cæremonialia, tum judicialia Hebræorum præcepta nostratis legibus et ecclesiasticis, et civilibus inserta cernuntur, id ex eo oriri potuit, tum quod homines licet temporum, ac locorum intervallis longe sint dissiti, idem tamen aliquando vetent, aut jubeant; eosdemque in sacris ritus, easdemque in judiciis formulas præscribant: tum quod ab Episcopis, atque a Principibus in ecclesiastico, ac in civili christianorum regimine adoptata sunt, atque adeo illa in novum jus translata non tamquam Mosaicae legis adhuc vigentis fragmenta, sed tanquam nova aut ecclesiae, aut principum placita observanda sunt: Ad rem Bonifacius VIII. *Omnia nostra facimus, quibus nostram auctoritatem impertimus* (1)

§ IX. Quamvis Christus nunquam suas leges scripsisse legatur, (quod profecto ad vim legis non requiritur) ipse tamen ad Patrem reversurus Apostolos monuit, ut leges, quas propalam locutus erat, omnes populos docerent: immo post aliquot ab ipsius *ἀναβάσει ascensione* annos ad sinceram suorum praeceptorum, factorumque narrationem perpetuo servandam, et ad exorientes haereses confutandas nonnullos ex Apostolis, ac discipulis elegit, ut quatuor *Evangelia* scriberent, atque *Actus*, *Epistolas*, *Apocalypsin* conficerent. Verum praeter *sacra Biblia*, haud pauca alia esse certa fide tenendum est, quae et Christus Apostolos edocuit, et Apostoli solo verbo fidelibus tradiderunt. Hinc Apostolus (2) jure merito ad Thes-

---

(1) *Cap. Si Apostolicae de Praebendis in 6.*
(2) *Epist. ad Thess. cap. II. v. 2.*

salonicenses scribit: *Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam.* Si quis plura noscere aveat, consulat Theologos.

X. Jus divinum sive naturale, sive positivum pone sequitur jus humanum, quod vel canonicum est, vel civile. Et quidem jus civile a Cajo I. C. (4) definitur: *Jus quod quisque populus sibi constituit, et cujusque civitatis proprium est.* De jure civili, ejusque speciebus satis in Juris Justinianei institutionibus: nunc de Jure Canonico.

TITULUS. II.

De jure canonico, ejusque definitione.

§. I. Quid jus canonicum?
II. Quomodo definitur?
III. Qnid discriminis inter jus canonicum, et civile?
IV. Jus canonicum quomodo partitur?
V. Quid jus canonicum scriptum?
VI. Quid jus canonicum non scriptum?
VII. Quid jus canonicum generale, quid particulare?
VIII. Quid rescripta?
IX. Quid privilegia?

I. Quoniam de utroque jure divino, ejusque speciebus in titulo superiore satis diximus, nunc ad juris Canonici Spartam adornandam gradum faciamus oportet. Jam vero primum omnium jus Canonicum dicitur a Graeca voce κανών, quae generatim accepta normam, seu regulam significat, ad quam cum in liberalibus, tum in mechanicis artibus quodque opus exigendum est.

---

(1) *L. IX. D. de justitia, et jure.*

Verum hoc vocabulum peculiari quadam notione morum regulam significat, ad quam christiani actiones suas et externas, et internas componere debent. Hinc a Crisippo lex dicitur κανών δικαίων και άδικων: hoc est *regula justi, et injusti* (1) Recte igitur jus Canonicum dicuntur ecclesiasticae constitutiones, quae non secus ac jus divinum, a quo descendunt, ita hominum actiones regunt, ut ultimum finem consequantur. Ecclesia enim imperiosum legis vocabulum, quod violentam corporis coercitionem complecitur, abhorruit sapientissime, et potius Canonum vocem adhibuit, quibus non corpus stringitur, sed animus gubernatur, nec novam vocem invexit, sed illam usurpavit, qua non semel in eadem significatione usus est Apostolus (2). Praeterea jus Canonicum et a rebus, de quibus agit, et a personis, quae illo utuntur, appellatur etiam jus Sacrum, et Ecclesiasticum: immo et a potiore fonte, quo oritur, Pontificium nuncupatur.

II. Profecto jus Canonicum recte definitur: *Illud quod ab Ecclesia per Episcopos, maxime vero per Summum Pontificem ad Christianos in fidei, morum, ac disciplinae regulis informandos constitutum, approbatumve est.*

Dicitur 1.° *Ab ecclesia per Episcopos.* Ecclesia quidem non aliis, quam sponsi sui legibus regitur. Porro ille sponsus vices suas Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus concredidit, quibus non solum docendi, praedicandi, et baptizandi; sed etiam ecclesias regendi honorem,

---

(1) *L. 1. D: de Legibus.*
(2) *II. Epist. ad Corinth, x. ad Galat. v. ad Philipp. III.*

atque onus impertitus est. Ad rem Apostolus (1) ait Spiritum Sanctum posuisse Pastores, uti Episcopos ἐπισκόπους, hoc est inspectores, speculatores regere ποιμαίνειν, seu pascere ecclesiam Dei.

2.° Dicitur *maxime vero per Summum Pontificem.* Christus enim quamvis super omnes Apostolos veluti firmissimum fundamentum Ecclesiam construxerit, tamen Petrum unitatis bono ceteris praeferri voluit, ipsique claves regni cœlorum peculiari quodam jure commisit adservandos. At cum in Petri locum R. Pontifex Ecclesiae primatum, ac sollicitudinem jure divino habeat, sequitur illum jure suo constitutiones emittere posse, quibus universam instruit Ecclesiam.

3.° Dicitur *ad Christianos.* Uni enim christiani, non vero Judaei, Turcae, Gentiles ecclesiastici juris vinculis obstringuntur. *Quid enim mihi de his*, inquit Apostolus, (2) *qui foris sunt, judicare;* Verum haeretici, schismatici, apostatae, cum aliquando Ecclesiam sint per baptismum ingressi, ad eamque sine novo baptismate possint redire, ecclesiae certo subjiciuntur.

4.° *In fidei, morum, et disciplinae regulis informandos* dicitur: Profecto ecclesiasticae constitutiones vel fidei dogmata, vel morum regulas, vel disciplinam comprehendunt, quibus jus canonicum per decem priora saecula coaluit, donec saeculo XII. Theologia fidei, morumque tractationem, jus Canonicum vero disciplinae regulas sibi vindicaverint. Id quod non ita intelligas velim, quasi utrique facultati limites sint con-

(1) *Act. xx.*
(2) *I. Corint. cap. v. v. 12.*

stituti, quos praetergredi nefas esset, sed tantummodo quid potissimum Theologi, quidque Canonistae in sua facultate spectare debeant. Et sane canones, uti observat Gêrsonius (1) nihil aliud sunt, nisi consequentiae ex Theologicis principiis illatae, vel determinationes loci, temporis, aut modi, quo jus divinum observandum praescribitur; vel potius faciliores juris divini exequendi rationes. Quare neutiquam dubitandum est, Theologiam tanta cum jure canonico adfinitate connecti, ut nisi utraque conjungatur, haud magnae in alterutra facultate fieri possint progressiones.

5.° *Constitutum, approbatumve est.* Et quidem vox *constitutum* illas spectat ecclesiasticas constitutiones, quae vel ab Episcopis in conciliis congregatis editae sunt, vel a R. Pontificibus perlatae, quaeque jus scriptum constituunt. Vox vero *adprobatum* pertinet ad eas constitutiones ecclesiasticas, quae usu potius, ac moribus receptae sunt, quaeque consuetudines appellantur.

III. Discrimen quod inter jus canonicum, et civile intercedit, est, quod illud aeternam hominum beatitatem, hoc temporaneam hominum felicitatem respicit. Illud sacra, hoc civilia moderatur: illud denique Episcopos, et praesertim R. Pontificem, hoc saeculi Principes habet auctores. Ast non negaverim, quin alterum alteri sibi invicem praestent auxilium.

IV. Jam vero jus canonicum multifariam dividitur.

1.° Quidem ab ejus origine in divinum, et humanum.

---

(1) *In Recomm. Licent. in Decreto.*

2.° Ex locis, ubi viget, in orientale, seu Graecum, et occidentale, seu Latinum.

3.° Ex diversa, qua viget, ratione, in scriptum, et non scriptum.

4.° Ex auctoritate, qua conditum est, in generale, et particulare. De prima juris canonici divisione titulo superiori, de secunda vero satis dictum est in Prodromo Historico. De reliquis singillatim.

V. Et sane jus canonicum scriptum, quod etiam constitutionis nomine venit, illud est, quod expressa legislatoris voluntate sancitur, licet scripto non demandetur. Hinc liquet traditiones sive divinas, sive Apostolicas, utpote expressa legislatoris voluntate sancitas ad jus scriptum omnino referendas esse. Porro jus canonicum scriptum praeter utrumque veteris, et novi testamenti codicem, Canones conciliorum, R. P. Constitutiones, et dicta SS. Patrum comprehendit. Ita Leo IV. P. a Gratiano relatus (1).

VI. Jus canonicum non scriptum, quod et consuetudo dicitur, illud est, quod christianorum moribus inductum vim habet legis; licet postea scribatur. Hinc nec consuetudo in scripturam redacta lex est, nec lex non scripta evadit consuetudo. Verum ut consuetudo vim habeat legis, requiritur.

1.° Ut neque juri divino, neque ethicae christianae adversetur (2) Quidquid enim contra jus tum naturale, tum divinum inducitur, id non consuetudo, sed detestabilis abusio dicendum est.

(1) *Can. 1. distin. 20.*
(2) *Can III. et VII. distin. 8.*

2.° Temporis diuturnitas, spatium scilicet decem annorum, si consuetudo sit praeter canonem receptum; quadraginta annorum, si sit contra canonem jam receptum: minus decem annorum, si sit contra canonem nunquam receptum.

3.° Frequentia actuum canoni abrogando adversantium, qui per unam, duas, tresve ad summum turmas, quarum singulae decem testibus constent, δικαστικῶς *judicialiter* probandi sunt.

4.° Tacitus populi consensus. Quare piae quaedam, ac diuturnae fidelium jejunandi, vel orandi observationes consuetudinem non pariunt, quippe quod populo non est animus his sese obligandi.

5.° Legislatoris scientia, et tollerantia (1).

Heic loci non abs re erit animadvertere Tridentinae Synodi decreta nulla unquam posse contraria consuetudine abrogari; quippe quod consuetudines etiam immemorabiles antea inductas, aut postea inducendas abolendas esse eadem Synodus sancivit; idemque decrevit Pius IV. binis constitutionibus, quarum altera concilii acta confirmavit; alteram vero emisit XIII. Kalen. Mart: MDLXV.

VII. Jam vero jus canonicum sive scriptum, sive non scriptum, iterum dividitur in generale, et particulare. Jus canonicum scriptum generale, quidquid vim legis habet in universa Ecclesia, comprehendit. Hinc quae Apostoli ex Christi expressa voluntate sive scriptis, sive ore tra-

(1) *Cap. 18. de Praebendis.*

diderunt, Canones conciliorum generalium, R. P. Constitutiones sive ad fidem, sive ad mores, sive ad disciplinam pertinentes, jus canonicum scriptum generale constituunt. Contra vero canones conciliorum provincialium, epistolae canonicae veterum Patriarcharum, aliorumque Episcoporum, R. P. decretales ad particulares Ecclesias missae, sunt jus canonicum scriptum particulare.

Quamobrem 1.° Jus generale in particulare convertitur, si quod apud omnes Ecclesias viget in desuetudinem abeat, tantumque in una, vel altera perdurat.

2.° Si quid ex particulari quadam Ecclesià ad Ecclesiam universam abit, tunc jus particulare efficitur generale. Verumenimvero utrumque in rebus disciplinam spectantibus dumtaxat locum habet, minime vero in rebus fidei, quæ ex Tertulliano et semper, et ubique *immobilis* est, et *irreformabilis*. Jus canonicum vero non scriptum, seu consuetudo generalis habetur, quod omnes christiani orbis Ecclesias observare videmus. At si in quibusdam tantum provinciis viget, ea particularis consuetudo appellanda est.

VIII. Juris canonici veluti tertium quoddam genus, vel potius jus canonicum speciale, sive singulare constituunt Rescripta Apostolica, quaeque saepe audiunt epistolae decretales, et definiri solent: *R. Pontificum Epistolae ad lites ordinandas; vel ad largienda Beneficia editae.* Illa *Justitiae*, haec *Gratiae* rescripta dicuntur. Ut Rescriptum plenam vim habeat, praecipue requiritur, ut non sit per obreptionem, vel subreptionem impetratum. Rescriptum per obreptionem impetrari dicitur, si veritas in supplici libello juxta juris regulas exponenda reticetur: contra per subreptionem impetratur, si

falsum expositum est. Rescripta alterutra ratione impetrata nullius roboris sunt (1). Quod si vel falsum expositum, vel verum silentio praetermissum non sit causa impetrationis Rescripti; tunc qui dolo, ac fraude, aut falsum exponit, aut verum tacet, is profecto caret impetratis; qui vero àut simplicitate, aut ignorantia id facit, jure utitur rescripto. Denique ubi dolosa obreptio, aut subréptio vitiat tantum partem rescripti, tunc Rescriptum in fraudis poenam etiam nullum est. Hic addenda quoque foret brevis de Privilegiis tractatio; at quoniam de his non pauca dicta sunt titulo II. lib. I. §. VII. Institutionum Juris Justinianei ad alias res momentosiores lubenter sermonem convertimus.

---

(1) *Cap. 20. de Rescriptis.*

TITULUS III.

De Conciliis.

I. Concilia Latine, Graece Σύνοδοι sunt conventus, in quos Christiani Antistites conveniunt ut aliquid ad fidem, mores, aut disciplinam spectans constituant, eaque duplicis generis apud Christianos Scriptores recensentur, Οικȣμενικα scilicet, seu generalia, et τοπικα, seu particularia, quae rursus quadrifariam dividuntur.

1.° Dioecesana.

2.° Provincialia

3.° Episcopalia.

4.° Mixta. De singulis breviter, et singillatim.

II. Uni Romano Pontifici, qui jure divino universae christianae reipublicae caput est, et primas, jus est ex justis, necessariisque causis, aut totius Ecclesiae voto concilium Œcumenicum indicendi. Qua de re Hincmarus Remensis (1) in-

(1) *Oper. t. r. cap. 20.*

quit. *Sic igitur universales synodi specialiter Apostolicae sedis auctoritate convocantur.* Pari jure ejusdem *P*ontificis est conciliis OEcumenicis præesse vel αμεσος per seipsum, vel εμμεσως per suos legatos. Id quod in omnibus conciliis sive in oriente, sive in occidente celebratis, uno excepto Costantinopolitano I. factitatum esse tum ipsorum conciliorum acta, tùm ecclesiasticae historiae fusius ostendant monumenta.

III. Quamvis in conciliis, uti judices primas partes agant Episcopi, tamen in iisdem cum Episcopis presbyteri, diaconi, aliique inferioris gradus clerici interesse consueverunt. Id de Nicaena synodo testatur Eusebius (1), quinimmo cum Episcopis sedebant presbyteri, sed vel a tergo, vel in sellis dimissioribus, quæ a Nazianzeno (2) quandoque *throni*, *vel cathedrae secundae*, *vel inferiores appellantur*: diaconi vero, aliique inferiores clerici stabant.. Verumenimvero ad synodos vocati sunt presbyteri, diaconi, aliique clerici, vel cum hæreticis disputaturi, vel communis fidei testimonium laturi, vel uti absentium Episcoporum procuratores suffragium laturi. Hinc Cyclus licet lector in Constantinopolitano I. subscripsit nomine Atarbii Polemoniaci in Ponto Episcopi. At tractu temporis distinctione invecta inter judicium *auctoritativum*, et *doctrinale* factum est, ut in synodis suffragium ferrent etiam presbyteri. Quamobrem in concilio Basileensi subscripsere presbyteri: et in concilio Florentino, et Tridentino suffragium tulere Abbates, et Generales Or-

(1) *Lib. III. cap. VIII.*

(2) *Orat. XX. de laud. S. Basilii*, *et in somnium S. Anastasiae.*

dinum Praepositi; quo jure aucti jam fuerunt in conciliis Lugdunensi I. et II. S. R. E. Cardinales. Etenim potuit illis ex Ecclesiae privilegio jus illud tribui, quo nonnisi jure divino gaudent uni Episcopi.

IV. Ut in conciliis omnia recte procedant, etiam forma examinis invecta est, quae sex praecipua respicit.

1.° Ut sit libertas in judiciis. Acta enim per vim, et metum ipso jure sunt nulla, atque adeo coactorum sententiae sunt potius sensa cogentium. Qua de re PP. Ariminenses de hæreticorum fraude sibi illata hoe modo quaeruntur apud Hieronymum (1): *Putavimus sensum congruere cum verbis, nec aliud in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis aestimatio.*

2.° Ut omnia ad scripturas, ac traditiones expendantur. Hoc de Synodo Nicaena testatur Athanasius (2). Hoc de Ephesina Vincentius Lirinensis (3). Hoc de reliquis conciliis eorundem acta. Quare Contantinopolitana II. suas definitiones sic concludit. *Haec ita recte confessi sumus, quae tradita nobis sunt tam a divinis scripturis, quam a SS. Patrum doctrina, et ab his, quae definita sunt de una, eademque fide a praedictis sanctis quatuor conciliis.*

3.° Ut sit *moralis* judicantium unanimitas. Haec

---

(1) *Dialog. adversus Luciferianos.*
(2) *Epist. ad Afros, et Sozomenus lib. 1. cap. 12.*
(3) *Commonit. cap. 2.*

enim semper fuit omnium conciliorum praxis. Hinc Pius IV. epistola ad Patres in Synodo Tridentina congregatos eos admonet, *ut illas tantum ederent definitiones, in quas Patres unanimi consensu conspirarent.* Jure igitur concilium Ephesinum II. ut Latrocinium ab omnibus Orthodoxis rejectum, ac reprobatum est, cum in eo et vis illata, et examen neglectum, et ορτοδοξοτεροι Episcopi e synodo expulsi sint.

4.° Ut reus citetur, audiatur, excutiaturque Quare patres Ephesini ter Nestorium ad Synodum vocarunt. (1)

5.° Ut accusationes expendantur, eaeque cum communi doctrina conferantur. Id quod cum Zosimus R. P., et PP. Diospolitani neglexissent, nil mirum, si Pelagium ab haeresi, qua postulabatur, absolverint.

6.° Denique ut judicium conceptis verbis, et ad unum sensum determinatis feratur. Constat enim ex Athanasio (2), et Theodoreto (3) quanta animi contentione PP. Nicaeni in seligendam vocem ομοουσιον, qua et catholicum δόγμα adstruitur, et hæresis Ariana confoditur, incubuerint.

V. Quoniam generalia concilia in iis, quae ad fidem, et mores pertinent, nulli sint errori obnoxia: secus vero in iis, quae disciplinam respiciunt, uti fusius ostendunt Theologi, fit, ut de his rebus, quae in iis actae sunt, decreta edantur, et subscriptionibus firmentur. Porro in

---

(1) *Actione 1.*
(2) *Epist. de Nicaenae syn. contra Arianam haeresim decretis.*
(3) *Lib. 1. cap. 8.*

subscriptionibus hic ordo servandus est. Decretis omnium primus subscribit R. Pontifex, vel qui ejusdem vicem funguntur Apostolicae sedis legati: dein Patriachae, Metropolitae, aliique Episcopi. Ita in concilio Nicaeno I. Osius, Vitus, et Vincentius, sedis Apostolicae legati ante omnes subscripserunt: deinde Alexander Alexandriae, Eustathius Antiochiae, Macarius Hierosolymorum: mox Metropolitae: et postremo reliqui, qui adfuerint, Episcopi, servata sedium dignitate. Verum multis abhinc saeculis invaluit, ut Cardinales etiamsi Episcopali honore careant, praerogativa suffragii super omnes Episcopos fruantur. Quod si Imperatores, et Reges conciliis adsint, locum quidem honoratiorem occupant, sed post omnes Episcopos subscribere consueverunt.

VI. Quoniam imperium Romanum sub Constantino M. in varias dioeceses fuerit divisum, factum est, ut dioecesis plurium provinciarum comprehensionem proprie significaret, ut testatur Balsamon (1). Διοικησις δη εστι, η πολλας επαρχιας εχουσα εν εαυτη: *dioecesis autem est, quae multas provincias sub se habet.* Quare si Episcopi unius dioecesis in synodum convenirent, hujusmodi concilia Dioecesana appellata sunt, quae etiam Patriarchalia nuncupata inveniuntur, quia ab illius dioecesis Patriarcha sunt convocata. Audierunt universalia, generalia, majora, plenaria ex Augustino, qui synodum II. Africanam sub Zosimo Papa habitam totius Africæ plenariam appellat: immo ea tempestate, qua complures nationes, imperio Romano in occidente in partes

(1) *In can. IX Chalced.*

scisso, novorum regnorum formam sibi vindicarunt, dicta sunt etiam Nationalia. Porro haec concilia licet conciliis Œcumenicis, et fortasse ipsis provincialibus antiquiora sint, et de fide, ac moribus decreta aliquando ediderint, tamen non raro fuere erroribus obnoxia, uti ex conciliis, quae a Cypriano in Rebaptizationis controversia habita sunt, apertissime liquet.

VII. Concilia nationalia excipiunt synodi Provinciales, quas bis singulis annis per unamquamque provinciam celebrari praecepit Synodus Nicaena I. (1). Synodi Nicaenae constitutionem renovarunt concilia Antiochenum (2), Chalcedonense (3), et S. Leo M. (4). Verum labente tempore cum satis difficile videretur concilia provincialia bis in anno celebrari, Justinianus primo (5) dein Synodus Quinisexta (6), mox nonnulla concilia et in Hispania, et in Galliis habita, et S. Gregorius M. (7), et demum Innocentius III. in Synodo Lateranensi IV. praecepit, ut *Metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis provincialia non omittant celebrare concilia, sicut olim a Patribus noscitur constitutum.* Postremo Tridentina Synodus decrevit, ut Metropolitanus quolibet saltem triennio Synodum in sua provincia cogere non praetermitteret (8).

---

(1) *Can. V.*
(2) *Can. XX.*
(3) *Can. XVIII.*
(4) *Epist VI cap. 7.*
(5) *Novell. CXXXVII. cap. 4.*
(6) *Can. VIII.*
(7) *Lib. VIII Epist. 3*
(8) *Sess. XXIV. Ref. cap. 2.*

VIII. Quamvis Synodi provinciales per octo priora saecula fuerint, veluti ordinarium tribunal, quo discutebantur causae non modo clericorum, et laicorum, sed etiam Episcoporum, ac ipsius Metropolitani, tamen praecipuae causae, quae antiquitus in iisdem agitabantur, erant.

1.ª Si qua nova haeresis erupisset: nam ubi error natus est, ibi facilius confoditur judicio Episcoporum.

2.ª Utrum excommunicationes ab Episcopis juste fuerint inflictæ.

3.ª Ut qui se laesos ab Episcopis existimarent, synodi experirentur judicium.

4.ª Ut res, quæ dubitationem haberent, absolverentur.

5.ª Ut quæ a conciliis Œcumenicis essent statuta, reciperentur, promulgarentur, et ad mores provinciæ adcommodarentur.

6.ª Ut res in concilio Œcumenico definiendæ discuterentur, ac pararentur.

7.ª Denique ut vitiis, si quæ pullulare inciperent, obviam iretur.

IX. Ex dictis igitur facile cognoscitur penes Metropolitanum jus esse concilium provinciale convocandi: eoque deficiente ad antiquiorem suffraganeum jus devolvi. Porro si quis Episcopus nulli subest, Metropolitam eligat, ad cujus provinciæ concilium accedere necesse est. Sic Aversano Episcopo mos est synodum provincialem Neapolitanam adeundi. Ast quid de Archiepiscopo suffraganeis carente, uti in regno Neapolitano, sunt Archiepiscopi Rossanensis, et Lancianensis? Benedictus XIII. in synodo Romana a se anno MDCCXXV. habita decrevit, ut Archiepiscopi suffraganeis carentes, cum sint pure honorarii, synodum provin-

cialem celebrare non possent, etiamsi in sua dioecesi habeant Abbates *nullius*, uti dicunt.

X. Synodis provincialibus presbyteros interfuisse, et una cum Episcopis provinciæ consedisse, et suffragium post Episcopos tulisse, iisdemque pene formulis, ac Episcopos subscripsisse veterum conciliorum acta demonstrant. Verum jure Tridentino (1) ad concilium provinciale non solum omnes provinciæ Episcopos convenire oportet, sed etiam omnes illos, qui vel de jure, vel consuetudine convenire debent. Sic ex. gr. conciliis provincialibus Neapolitanis præter Archiepiscopum interfuere Episcopi, Nolanus, Acerranus, Puteolanus, Isclanus, Aversanus exemtus, Canonici Cathedralis Neapolitanæ, Procuratores Capitulorum cathedralium provinciæ, tum et universus clerus tam civitatis, quam dioecesis.

XI. Synodi, de quibus agere hic aggredimur, ni dignitate, antiquitate saltem, ceteribus omnibus synodorum generibus præstare videntur. Primis enim illis ecclesiæ nascentis incunabulis facilius erat Episcopis unius civitatis clerum, quam provinciæ, vel dioeceseωs, aut universi orbis Episcopos convocare: præsertim cum Metropoleωn fines non essent satis constituti, et persecutionum procellæ ante Constantinum adhuc detonarent. Itaque synodus Episcopalis, quæ olim etiam Presbyterium, et concilium civile, et posteriore ætate synodus dioecesana, erat conventus, in quem clerus civitatis, seu dioecesis ab Episcopo cogebatur, ut una cum presbyteris, aliisque Clericis de gravioribus negotiis tractaret. Hujusmodi sy-

(1) *Ses. XXIV. Ref cap.* 2.

nodi sæpius per annum agebantur (1), sed deinceps bis quotannis, et postremo semel in anno cogi cæperunt: id quod a conciliis Lateranensi IV., et Tridentino probatum iterum restituerunt pacta conventa inter Pium VII. et Ferdinandum I. an. 1818; ex quibus Neapolitani regni Episcopis plena facta est Synodorum celebrandarum potestas.

XII. Cum synodi coactio ad jurisdictionis, non ad ordinis potestatem pertineat, fit.

1.° Ut Episcopus electus, et confirmatus synodum cogat; minime vero Archiepiscopus, antequam Pallium, in quo jurisdictionis vis continetur, recipiat (2).

2.° Episcopus titularis, modo in infidelium regionibus ecclesiam regens inde fuerit expulsus. Etenim licet ab sua ecclesia exul, poterit cum aliquot suæ dioecesis sacerdotibus ejusdem rebus providere.

3.° Vicarius generalis speciali Episcopi mandato. Verum Cardinalis Urbis Vicarius ex Pauli III. constitutione pro libito Romani cleri synodum dioecesanam jure indicit (3).

4.° Vicarius Capitularis dummodo a proxima habita synodo annus effluxerit.

5.° Vicarius Apostolicus, qui si ad ecclesiam Episcopi translatione, aut morte vacantem accesserit, synodum celebrat, sed elapso anno a proximæ synodi celebratione: si vero tanquam vices gerens Episcopi, vel senio confecti, vel vitio sus-

(1) *Carthag. IV. can. XXIII.*
(2) *Benedictus XIV. in Sinod. Dioeces. lib. II. cap. 5.*
(3) *Bulla* licet Ecclesiarum §. *10.*

pensi ecclesiæ præfectus est, tunc a summo Pontifice venia impetranda erit, nisi jus illud litteris, quibus Vicariatus Apostolicus demandatur, datum fuerit.

6.° Prælati, qui vulgo *nullius* vocitantur, seu qui jurisdictionem quasi episcopalem exercent, synodum dioecesanam indicunt. Verumenimvero ut iis hujusmodi jus adseratur, requiritur, tum ut ad id privilegio sint donati; tum ut privilegium in usum fuerit deductum, ut in nostro regno est Abbas Casinensis: alias Episcopum eligant, ad cujus synodum accedant.

XIII. Dioecesanæ synodo interesse oportet.

1.° Archipresbyteros, Vicarios Foraneos, Parochos, aliosque animarum curam habentes; et Prælatos inferiores licet *nullius*, qui territorium ab Episcopali omino avulsum non habent;

2.° Regulares, qui in suis ecclesiis animarum curam exercent.

3.° Superiores regularium, quorum Monasteria Episcopis tanquam sedis Apostolicæ delegatis obnoxia facta sunt.

4.° Canonicos cathedralis, et Collegiatos, aliosque ecclesiæ cathedralis Beneficiarios.

5.° Omnes dioecesis Beneficiarios, Presbyteros, ac Clericos, ubi de moribus reformandis, aut de synodi provincialis decretis promulgandis agendum est.

6.° Fratres Cappellanos Religionis Hierosolymitanæ animarum curam habentes, et potiore jure sacerdotes, qui parochialibus ecclesiis eidem sacræ religioni subjectis præfecti sunt (1). Porro qui ad sy-

(1) *Sac. Congreg. in causa Ilerden. Synodi die 17. Julii 1683.*

dum accedere recusant, ab Episcopis ecclesiasticis censuris compelli possunt, nisi, qui absentiam excusent, mittant procuratorem.

XIV. Jam vero quæ in synodo diœcesana geri solent, sunt Synodalium Examinatorum lectio, qui ex Tridentino non minus, quam sex numero sient (1): atrociora quædam flagitia uni Episcopo absolvenda reservare: Missarum stipem taxare: rectæ Sacramentorum administrationi consulere, et si qui irrepserunt abusus, tollere. At maxime cavendum est, nequid in quæstionibus nondum definitis sive adversus Jus Commune, sive Apostilicas Sanctiones, sive Pontificiam Jurisdictionem, regularium privilegia decernatur. Denique dioecesana synodus nec vocabulo *sancta* honestanda est, neque ejusdem constitutiones canonum vocabulo afficiendæ sunt. Quicumque de his plura aveat, consulat Benedictum XIV. de *Synodo dioecesana.*

XV. Concilia Mixta a nonnullis ecclesiasticis Scriptoribus vocantur illa, quæ aliquando a R. Pontificibus habebantur, quibus præter Clerum urbis Episcopi aliquot, aliique Ecclesiastici viri, qui in urbe fortuito versabantur, interfuere: quale est concilium Romanum anno CCLV. celebratum, de quo S. Cornelius ad Cyprianum hæc habet (2). *Omni igitur actu ad me perlato placuit contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi, qui et hodie praesentes fuerunt.* Apud Thomasinum (3) vero concilia mixta illa dici videntur, quæ fere continenter Constantinopoli habebantur, in qui-

(1) *Sess. XXIV. cap. XVIII. de Ref.*
(2) *Epist. 46.*
(3) *Part. II. lib. III. cap. 43.*

bus orientalis ecclesiæ difficiliores quædam causæ, regio urbis Episcopo præside, cognoscebantur, ac finiebantur. Verum ex communiori Canonistarum sententia concilia mixta dici debent synodi, ad quas Episcopi cum regni alicujus proceribus, Rege præside, conveniunt de rebus ad utramque politiam spectantibus tractaturi: ut apud Gallos Caroli Magni, et Ludovici Pii præsertim ætate obtinuit. Hic Regis, atque optimatium cum Episcopis amicabilis consensus quantum ecclesiæ, reique publicæ boni conferret, nemo non videt. Illud vero de his synodis animadvertere juvat, quod ubi de civilibus rebus ageretur, Episcopi æque, ac optimates amice conspiraverint: ubi Ecclesiastica negotia discutienda essent, ab unis Episcopis tractabantur.

TITULUS IV.

DE ECCLESIASTICARUM CONSTITUTIONUM PROMULGATIONE

§. I. Leges humanae debent promulgari?
II. Quae est forma promulgandi Canones?
III. Quod tempus requiritur ut lex obliget?
IV. Ad quid regius adsensus in canonum publicatione?

I. Legibus humanis nullam vim inesse, antequam ad eorum notitiam, quibus imponuntur, perveniant, et publicentur, apud omnes in compertis est. Ad rem Justinianus (1): *Leges enim sacratissimae, quae constringunt hominum vitas,*

(1) *L. IX. C. de Legibus.*

intelligi ab omnibus debent, ut universi praescripto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur. Una lex naturalis, quæ a natura ipsa animis inserta est, externa promulgatione non indiget. Porro publicandi formam quod spectat, ipse Justinianus (1) jussit, ut novæ sanctiones non solum in urbe principe, sed et in provinciis evulgarentur.

II. Hanc promulgandarum legum rationem ab suis exordiis amplexa est ecclesia. Et re quidem vera statuta conciliorum, scilicet Arelatensis 1., Nicæni 1, Sardicensis, Ephesini, aliorumque in singulis provinciis, et ecclesiis publicata sunt. Ipsæ quoque Pontificiæ Sanctiones eodem modo publicari solebant. Quare controversia *de poenitentia, et reconciliatione lapsorum* in synodo Romana anno CCLIII. definita, litteræ datæ sunt ad universæ ecclesiæ Episcopos, ut quod a Petri cathedra etiam vacante præceptum erat, observaretur. Verum enim vero Romæ paulatim usus invaluit, ut Pontificiæ constitutiones statim atque ad Valvas Basilicarum urbis, et Cancellariæ Apostolicæ, in monte Citorio, et in campo Floræ sint adfixæ, perlatæ esse censeantur, adjecta clausula: *omnes ubique fideles sola publicatione in urbe facta ad pontificias exequendas constitutiones perinde obstringi, ac si personaliter singulis significatae fuissent.* At quamvis ob id tum Theologi, tum Canonistæ, aliique in alias abierint sententias, tamen æquiores canonum tractatores clausulam illam defendunt, quæ ex stylo ad removendos ignorantiæ prætextus apposita est, nec impedit, quominus in provinciis promulgatio fiat.

---

(1) *Novel.* LXI.

III. Profecto facta promulgatione lex sive Regia, sive Pontificia post bimestre incipit obligare, nisi aliter legislator edixerit (1). At statuta synodalia cujusque dioecesis statim a publicatione obligant (2). Verum *το statim* morale est, non physicum, prudentis arbitrio pro locorum, aut personarum circumstantiis aestimandum.

IV. Regium Placitum, seu ut vulgo ajunt, *Regium exequatur*, definitur: *decretum Regis, ejusque sanctioris consilii, quo vel sinit, vel jubet sedis Apostolicae, vel Romanae Curiae decreta, decretales, Rescripta in suis ditionibus publicari, ac exequi.* Profecto Imperatores Romani conciliorum canones, aut Romanorum Pontificum constitutiones suis edictis confirmarunt, atque ubique locorum publicari mandarunt. Ita Constantinus Nicaeni concilii, Theodosius Constantinopolitani I, Marcianus Chalcedonensis acta sua auctoritate firmarunt, poenasque corporales in clericos, ac laicos, qui illis adversari auderent, adjecerunt. Igitur in hac causa eo tendit Regius adsensus.

1.° Ut litteræ Apostolicæ facilius, feliciusque exequutioni mandentur; idque ad Ecclesiasticæ Majestatis augmentum, et christiani populi securitatem.

2.° Ne Rescripta per obreptionem, aut subreptionem obtenta exequutionem sortiantur non sine partium detrimento.

---

(1) *Novel. LXVI. cap. 1. et cap. ult.* ne clerici, vel monachi, *et cap. 25 de senten. Excommunic.*

(2) *Bened. XIV. de synod. Dioec. lib. VIII. cap. IV.*

3.° Ne novæ leges Ecclesiasticæ populi moribus adversentur. Etenim non omnia omnibus regionibus adcommodata sunt statuta. Quo factum est, ut ipsi R. Pontifices sua decreta, quibus Principes aliquando intercesserunt, ad trutinam revocarint, eaque re maturius expensa temperarint. Hinc Pius II. epistola ad Carolum VII Galliarum regem sic illum adloquitur: *Quod si in aliquo praejudicatum tuis juribus putas, parati sumus tuae consuetudini justitiam cum omni benignitate administrare.* Eadem habet Alexander III. (1) aliique Pontifices. Ast quid in *Bullis Dogmaticis* regium placitum? Sed quoniam in Bullis Dogmaticis clausulæ quædam, aut civiles pœnæ addi possunt, putat Espenius (2) eas, accedente principis consensu, esse publicandas, non quod Principes sacræ doctrinæ judices, et arbitri constituuntur, sed quod expendunt, utrum præsenti reipublicæ statui conveniat in perduelles pœnis temporalibus animadvertere.

---

(1) *Cap: 5, de Rescriptis.*
(2) *De publicat. leg. eccl. part. v. cap. 1.*

TITULUS V.

De interpretatione, derogatione, et abrogatione canonum.

I. Quamvis canones disciplinam spectantes, haud vero qui fidem, aut mores respiciunt, mutationi sint obnoxii, tamen omnes ex æquo interpretationis aliquando indigent. Itaque interpretatio recte definiri solet: *legis, aut canonis obscuri per aliud declaratio.* Qua de re ubi verba legis, aut canonis, vel ipsa vetustate aliquam pariunt obscuritatem, vel verborum ambitu animum dubium faciunt, interpretatio locum habet. Porro saniores rerum canonicarum tractatores duplicem agnoscunt interpretationis speciem, alteram scilicet a causa efficiente, alteram ab ipsa interpretatione. Quae est a causa efficiente, eam quadruplicem esse adserunt, *authenticam* nempe, *usualem*, *juridicam*, et *doctrinalem*: quae vero oritur ab ipsa interpretatione, ea duplex est, *litteralis* scilicet, et *philosophica.* De singulis singillatim.

II. Et quoniam de interpretatione, quæ a causa efficiente est, primum innuimus, æquum esse videtur, ut ab illa incipiamus. Et sane.

1.° Interpretatio authentica, quæ etiam generalis, *auctoritativa,* et εγγραφη, seu scripta di-

citur, ea est, quæ fit vel ab ipso legislatore, ejusve successore, ab eove, qui parem cum legislatore habet potestatem. Ad rem Innocentius III. (1) *Unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat.* Quare Pontificis interpretatio licet in aliquo speciali casu, et ad alicujus consultationem sit facta, adhuc tamen authentica, et generalis habenda est.

2.° Interpretatio usualis, quam et generalem, et εγραφην dicunt, ea est, quæ usu, et moribus inducitur. Porro cum consuetudo legitime inducta vim legis habeat, et priorem legem abroget, necessario sequitur consuetudinem canonis obscuram, aut dubiam sententiam optime jure interpretari. *Consuetudo est optima legum interpres* (2).

3.° Interpretationem juridicam appellant, cum Judex de aliqua controversia cognoscens legem ambiguam ita exponit, ut secundum eandem jus dicat. Ast interpretatio illa litigantium jura non egreditur (3).

4.° Doctrinalis, quæ et probabilis, ea esse dicitur, quae juris Canonici consultos habet auctores. Verum hujus interpretatio tanti æstimanda est, quanti valent argumenta, quibus innititur. Hinc licet Princeps non uti Princeps, sed ut privatus doctor legem interpretatur, hujusmodi interpretatio non authentica est, sed tantum doctrinalis, seu probabilis evadit. Videsis Bened. XIV, in suo opere de Synodo dioecesana.

III. Quae vero ab ipsa interpretatione oritur

(1) *Cap. 31 de sen. Excom.*
(2) *Cap. 8. de consue.*
(3) *Cap. 6. de appel.*

duplex est, *litteralis* scilicet, et *philosophica*

1.° Litteralis, quæ et alio nomine grammatica dicitur, est, quæ legis verba sectatur, et juxta vim verborum legem interpretatur.

2.° Philosophica vero, quæ legis mentem, legisque potestatem respicit.

IV. Jam vero cum de variis interpretationis speciebus a nobis dictum sit, e re canonica esse video, si in interpretando nonnullas hic regulas subnectam. Regula 1.ª In conditi canonis tempus inquirendum est, ut vocabulis, quibus canon contexitur, notio apta tribuatur. Non enim fieri potest, ut antiqua intelligamus monumenta, nisi antiquis vocibus antiquorum notiones inquiramus. Exemplo sit vocabula Dioecesis, Paraecia, communio, aliaque sexcenta.

Reg: 2.ª Græcorum canonum intelligentia ex eorundem in vernaculo idiomate lectione haurienda. Nam ex una in aliam linguam translatio difficilis est, neç semper linguæ sibi invicem respondent.

Reg: 3.ª In canonis mente, occasione, aliisque adjunctis investigandum, ut canonis sententiam feliciter adsequamur.

Reg: 4.ª Consuetudines illorum temporum, quibus sunt conditi canones, cognoscere oportet, ut innumerae quæstiones in canonum explanatione exortæ facillime componantur.

Reg: 5.ª Opiniones, quæ diversis temporibus obtinuere, spectandæ sunt, ut opiniones ea ætate receptas possis intelligere, ut patet ex canonibus XLIX. concilii Toletani IV. et VIII. concilii Aurelianensis I.

Reg: 6.ª Decretalium fontes, e quibus fragmenta desumta sunt, adire necesse est. Antecendentia enim, et consequentia sunt veluti quædam faces,

quae fragmentis inde depromtis non modicam lucem adferunt. Et hoc præsertim locum habet in interpretandis Gregorianæ collectionis decretalibus.

V. Quid sit legis abrogatio, quidve legis derogatio pulchre definit Modestinus (1): *Derogatur legi; cum pars detrahitur: abrogatur legi, cum prorsus tollitur.* Quamvis enim canonum æque, ac legum constans, et perpetua sit obligatio, tamen non raro evenit, ut eisdem derogari, aut abrogari possit. Hinc ut recta incedamus via has tum in abrogatione, tum in derogatione regulas præ oculis habeamus oportet

Reg: 1.ª Canones queis jus divinum explicatur, neque abrogare, neque derogare fas est. Jus enim divinum est immutabile.

Reg: 2.ª Priori canoni derogatur, vel abrogatur canone posteriori, condito vel ab eo, qui priorem condidit, ejusve successore, vel ab eo, qui majori pollet potestate. Verum juxta nonnullos canonibus conciliorum Œcumenicorum posteriori contraria constitutione tunc derogatur, cum clausula derogatoria expresse adjiciatur (2)

Reg: 3.ª Canon abrogatur, eique derogatur contraria consuetudine Legislatoris scientia, et tollerantia firmata.

Reg: 4.ª Consuetudini legitime inductæ, et particularibus locorum institutis per Constitutiones Pontificias non censetur derogatum, nisi de illis expressa fiat mentio (3).

Reg: 5.ª Obligatio canonis in præsumtione fundati cessat, quando de contraria veritate constat.

---

(1) *L. CII. D. de Verb. signif.*
(2) *Cap. 3. de cap. monachorum.*
(3) *Cap. 1. de constit. in 6.*

Hujus rei exempla habes in capite III; et V. *de sponsalibus.*

Reg: 6.ª Omni ex parte cessante legis causa, cessat ipsa lex, ejusque obligatio. Ad rem satis est canon Apostolicus de abstinentia a sanguine, et suffocato.

TITULUS VI.

DE JURE PERSONARUM.

I. Quemadmodum Juris Civilis materiam esse personas, res, et actiones nos in Justinianeis Institutionibus jam asseruimus, ita juris civilis vestigia prementes, Canonicarum Institutionum primum librum personis; secundum rebus; tertium actionibus, seu judiciis dicamus. Itaque jure canonico personarum divisio est, quod omnes homines in ecclesia christiana aut clerici sunt, aut fideles, seu laici, aut catechumeni, ut testatur Eusebius (1). Et clerici quidem hoc nomine donati sunt a graeca voce κληρος, *sors*, *haereditas*; vel quia, ut ait Hieronymus (2) de sorte domini sunt; vel quia dominus sors, seu pars illorum est. Verum hoc nomen aliquando omnibus fide-

(1) *Demonst. evang. lib. VII. cap. II.*
(2) *Epist. II. ad Nepotianum.*

libus a Patribus tributum est. Hinc Theophanes suos auditores Clerum appellat : *Nos vero, o Clere mi* (1).

Laici nomen a Graeca voce λαος, quae populum significat, descendit. Et sane laici Ecclesiæ plebem constituunt: iidem quoque, quia negotiis secularibus vacant, Saeculares: quia vero privatam in Ecclesia vitam agunt, *Idiotae* etiam sunt nuncupati.

Denique Catechumeni, hoc est qui in Ecclesia instituuntur, ut baptismate initientur, quia aliqua ratione ad Ecclesiae gremium admissi sunt, etiam Christiani appellati reperiuntur (2). *Licet enim*, ait Augustinus (3), *nondum filii essent, pertinent tamen ad Ecclesiam, ceu servi*: immo salutem aeternam consequuntur, si mortem ante Baptismum occumbant.

II. Jam vero ubi Monachorum primaevam Institutionem inquiris, Monachos inter fideles, seu laicos recensitos deprehendes. At quoniam in sacris Canonibus a clericis, et laicis saepe distinqui solent, quartum personarum genus constituere videntur. Monachis enim etsi temporis lapsu ad ordines aditus patuerit, nec ipsi clericorum nomine ad clerum admissi sunt; nec laici unquam dicti sunt, licet ordinibus initiati non fuerint.

III. Nullatenus dubites Clericos tum ordine, tum potestate a laicis distingui, idque jure divino, et antiquissimis monumentis probatum est. Et sane

---

(1) *Humil. XII.*
(2) *Conc. Cpolit. I. cap. VI.*
(3) *Tract. XI in Joannem.*

ne infinitus essem huc omnia Sacrarum litterarum, ac Patrum testimonia adversus Etherodoxos adferre, videsis Petavium, Natalem Alexandrum, Vitasse, aliosque Theologicarum rerum tractatores.

IV. Porro varii, ac varii sunt Clericorum ordines; quorum alii majores, alii minores, scilicet Presbyteratus, Diaconatus, Hypodiaconatus, Acolytatus, Exorcistatus, Lectoratus, Ostiariatus, quinimo plerique Canonistae duos alios addunt, Episcopatum nempe, et primam clericalem Tonsuram. Contra nonnulli Episcopatum puram, putamque Presbyteratus extensionem esse contendunt: primam vero Tonsuram ad reliquos ordines suscipiendos praeparationem esse demonstrant. Nos cum cordatioribus Canonistis Episcopatum a Presbyteratus Ordine distinctum concedimus. Etenim ubi est distinctus consecrationis ritus, potestas distincta, et distincta munia, ibi ordines inter se distinctos esse oportet. Cum itaque Episcopatus, et Presbyteratus ritu consacrationis, potestate, auctoritate, et progressione instar imitationis gloriae Angelicae, qua ex uno in alium locum superiorem progreditur, inter se invicem distinguantur, ambigendum non est a Presbyteratu Episcopatum esse distinctum. Verum primam clericalem Tonsuram, veluti quoddam ceterorum ordinum tirocinium esse certissime sustinemus.

V. Etsi nomina Ordinis, Gradus, et Officii aliquando a veteribus ad significandas diversas Clericorum functiones promiscue usurpata fuerint, tamen strictius, atque aptius loquendo Ordo Ecclesiasticum officium, ad quod quis mystico ritu consecratur, vel potius illius exercendi jus, seu potestatem significat: Gradus vero locum Hierarchicum, quem quis ratione ordinis consequitur,

designat: denique munia singulis ordinibus adsignata Officia nuncupantur,

TITULUS VII.

De summo pontifice.

I. Inter altiores Ecclesiasticae Hierarchiae gradus principem locum tenet R. Pontifex, qui utpote Petri successor in universam Ecclesiam primatum habet non solum honoris, et dignitatis, sed etiam potestatis, et jurisdictionis, idque jure divino, uti in Conciliis tum in Oriente, tum Occidente celebratis sancitum est. Quare jure meritissimo pluribus, iisdemque honorificis titulis decorari consuevit: scilicet appellatus est *Pater Patrum*: *Petra, et fundamentum Ecclesiae*: *Apex totius Episcopatus; Ecclesiae universalis Antistes; Christi Vicarius; Caput omnium Episcoporum*, aliisque innumeris nominibus; sicuti Ecclesia Romana dicta est *sedes Apostolica; Petri cathedra; unitatis Ecclesiasticae centrum: Ecclesia Principalis*

II. Nominis Papae etymon si quaeras, nonnulli conflatum putant ex notis *Pa Pa*, quae significant *Patrem Patrum*. At Vossio, aliisque ductum placet a Graeco πάπας, vel παππας, quia bladientes puerili suos parentes compellare consueverunt. Verumtamen hoc nomen licet antiquitus

omnibus Clericis fuerit commune, tamen pedetentim unis Episcopis tributum est (1) donec saeculo XI. a Gregorio VII. in Synodo Romana an. MLXXII. habita sancitum est, ut solus R. Pontifex hoc nomen adhiberet. (2).

III. Jam vero R. Pontificis supra omnes Christiani Orbis Ecclesias etiam Patriarchales primatum argumentis tum ex sacro Codice, tum ex Ecclesiastica traditione depromtis fusius demonstant Theologi in Tractatu de locis Theologicis, ubi etiam de ejusdem ασφαλεια sermonem istituunt. Nos vero pro nostri instituti ratione brevitatem sectantes ejusdem primatus jura, tanquam legitimas ejusdem consequentias percensebimus. Quae quidem jura non abs re nostra erit, si distinguamus partim in primaria, seu *immanentia*, partim in secundaria, seu *transeuntia*.

IV. Nos jura primaria appellamus, quae ipsi primatui innata sunt, nulli communicanda, nullique aut temporum, aut disciplinae mutationi obnoxia: jura vero secundaria ea dicimus quae a R. Pontifice ita vindicantur, ut sine injuria sedis Apostolicae a ceteris etiam Ecclesiae Praelatis exerceri possint. Igitur ab primariis incipiam, et dico jura primi generis esse.

1.° Ut singulae per orbem Christianum peculiares Ecclesiæ cum Romana omnium Matre, et Magistra communicare teneantur.

2.° Ut in hujusce communionis signum nomen Papae viventis in sacris diptychis, ut hodie in Missae canone obtinet, legatur.

3.° Ut a quibuslibet Ecclesiis particularibus,

---

(1) *Walfridus Strabo de reb. Eccle. cap VII.*
(2) *Bened. XIV. de Synod. Dioeces. lib. I. cap. III.*

aut Episcopis ad Romanum Pontificem in momentosis doctrinae, aut disciplinae dubiis possit adpellari.

4.° Ut Pontifex R. canones, qui Ecclesiam universam obstringunt, jure suo condere possit.

5.° Ut ipsi ubique terrarum Pontificalia exercendi jus, fasque siet.

6.° Ut eidem par jus sit Concilium Œcumenicum convocandi, eique cum suffragii praerogativa praesidendi, illudque ut sit legitime congregatum, minimeque erroribus obnoxium confirmandi.

7.° Ut R. Pontificis judicium universam Ecclesiam in rebus fidei, et morum edocentis ασφαλεια potiatur.

8.° Ut Prima Sedes, cum in ceteras omnes obtinet principatum, a nemine judicetur.

V. Inter secundi generis jura censentur.

1.° Ut in Sacramentis administrandis, salvis materia, et forma, externos quosdam ritus corrigere, aut jubere: indulgentias plenarias largiri: obligationem divini Officii: Missarum legata: esum carnium delaxare, aut permutare: Missale, ac Breviarium castigare, aut in melius redigere possit.

2.° Ut *Beatificationes*, quibus cultus erga cælites permittitur; et *Canonizationes*, quibus præcipitur, instituat: Novos Regularium ordines, eorumque *Regulas* adprobet, mutat, supprimat: et eisdem privilegia, aut exemtiones concedat, aut concessa restringat.

3.° Ut dubia circa Concilii Tridentini decreta resolvere, vel Synodos Provinciales confirmare: librosque, aut propositiones religioni, bonisque moribus adversas proscribere, idem possit.

4.° Ut Episcopos, necessitate urgente, a *Resi-*

dentia ad tempus dispensare: Communionem sub utraque specie aliquando permittere: a Jejuniorum, et festorum dierum obligatione; nec non ab aetate ad sacros ordines, et dignitates Ecclesiasticas dispensare, valeat.

5.° Ut Ecclesias sive Patriarchales, sive Metropolitanas, sive Episcopales erigere, unire, aut easdem penitus supprimere: Usum Pontificalium, et *Abbatias Mitratas* concedere: Archiepiscopos, et Episcopos creare, iis exceptis, quorum electiones aut Regibus, aut Capitulis ex *Concordatis* permittuntur: Archiepiscopis, aut honoris gratia Episcopis pallium concedere, ad ipsum pertineat.

6.° Ut celebriora quædam vota relaxandi copiam sibi uni vindicet: sicuti reapse sibi reservat illa quinque vota, scilicet perpetuæ castitatis, ingrediendi religionem adprobatam, peregrinationis in Hierusalem, ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum in Compostella.

7.° Ut Matrimonii impedimenta intra suos fines dispensare, et graviora quædam flagitia sibi unice absolvenda adscribere: majores quasdam causas, ut ad Apostolicam sedem deferant, Episcopis præcipere, ad eundem spectet.

8.° Ut ad Imperatores, Reges, et Principes Legatos a *latere* mittere, et in Regiis Urbibus Nuntios Apostolicos constituere, par jus sit.

TITULUS VIII.

De S. R. E. Cardinalibus.

§. I. Cardinales qui? Cardinalium origo?
II. Cardinales presbyteri, et diaconi?
III. Episcopi Cardinales qui?
IV. Cardinalium dignitas amplissima, eorumque insignia?
V. Hodiernus numerus Cardinalium?
VI. Cardinalium Consistorium quid? et quotuplex?
VII. Quid sunt Congregationes Cardinalium?

I. Summi Pontificis Senatum constituunt Cardinales, a *cardinibus* sic nuncupati, sive a titulis, hoc est Parochialibus Ecclesiis, quibus adfixi erant. Cardo enim vel est a Græco vocabulo κραδαω, *agito*, quia janua in cardinibus agitatur, ac vertitur; vel potius ex Vossio a καρτος, pro κρατος, *robur*; quia in cardinibus totum januæ robur consistit. Merito igitur nomen Cardinalis illis tributum est clericis, qui Ecclesiis, sive titulis perpetuo adfixi sunt, ut ab eis distinguerentur, queis Ecclesiæ ad tempus, vel in *Commendam* credebantur. Quare Gelasius Papa Episcopum Cardinalem ab Episcopo *Interventore* distinguit (1). Et sane olim singulæ Ecclesiæ suos habebant Cardinales, Episcopos scilicet, Presbyteros, Diaconos, Diœcesibus, Parochiis, Diaconiis præpositos: imo Cardinalium nomen pleræque Ecclesiæ Cathedrales, ut Mediolanensis, Veronensis, Neapolitana, aliæque per plura sæcula re-

(1) *Can. III. distinct. 24.*

timuerunt, ut satis erudite demonstrat Mazochius (1).

II. Porro inter ceteros emicuere Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in qua cum tituli essent partim Parochiæ, quæ Presbyteris erant commissæ, partim Hospitalia cum Sacellis, quæ Diaconis creditæ erant, ex hoc veluti sua sponte emerserunt hinc Cardinales Presbyteri, illinc Cardinales Diaconi.

III. Sæculo VIII cooptatis inter illos vicinarum civitatum Episcopis, qui unum cum Romano Clero veluti Presbyterium jam constituebant, Cardinalium dignitas illustrior haberi coepta est. Et quidem vicinarum civitatum Episcopi olim septem erant, Ostiensis scilicet, cui postea Episcopatus Veliternus unitus est, Albanensis, Prænestinus, Sabinensis, Tusculanus, Portuensis, et S. Rufinæ, sive Silvæ Candidæ. Hoc ultimo cum Episcopatu Portuensi conjuncto, sex tantummodo remanserunt. Jam vero ut observat Thomassinus (2) hi proximiores Romæ Episcopi quippe qui more majorum ad Romani Cleri conventus agendos invitari consueverant, factum est, ut Ecclesiæ Lateranensi veluti addicti, vel Pontifici sacra peragenti semper præsto essent, vel ipsi sacris operarentur, quo in munere obeundo per hebdomodas alii aliis succedebant. Quamobrem Episcopi *Collaterales*, et Hebdomadarii appellati sunt (3).

IV. Labentibus annis Cardinalium dignitas adeo excrevit, ut Episcopis, atque adeo ipsis Patriar-

---

(1) *Append. ad dissert. de Cathed. Ecc. Neap. diatriba III.*

(2) *Part. I. lib. II. cap. 115.*

(3) *Stephanus IV. apud Anastasium Bibliothec.*

chis Cardinales anteferrentur : idque variis ex causis effectum est. Etenim Pontificiæ legationes Cardinalibus commissæ negotia ex remotis regionibus ad Sedem Apostolicam delata, et in Cardinalium conventu definita, Romani Pontificis electio a Nicolao II. reliquo Romano clero excluso, unis Cardinalibus tributa, veluti quidam gradus fuerunt, per quos Romanus Cardinalatus ad maximum in terris fastigium fuerit evectus (1). Porro Romanum Cardinalatum dignitate, ac potestate auctum signis etiam externis splendescere oportuit. Et quidem in Concilio Lugdunensi I. rubro pileo ab Innocentio IV. : lacerna purpurea veterem Romani Senatus, majestatem referente : purpureo panno, quo equos sternerent ; et *biretta* etiam rubra, qua caput tegerent, a Paulo II. ornati sunt. Hæc insignia primum Cardinalibus e Clero sæculari creatis indulta, postea cum Cardinalibus Regularibus a Gregorio XIV. communicata sunt (2). Deinde Urbanus VIII. Cardinalibus *Eminentiae* titulum concessit, qui quidem tam S. R. I. Ecclesiasticis Electoribus, quam Magno Ordinis Melitensis Magistro communis est. Postremo Innocentius X. jussit, ut Cardinales quocumque generis splendore flugerent, omni sæcularis fastus ornamento posthabito, uno Cardinalis nomine contenti essent, ipsisque suæ domus stemmatis rubrum pileum imponerent (3).

V. Cardinalium numerus ad sæculum usque

---

(1) *Onuphrius Panvinius de Episcopat. Titulis, et Diaconis pag. 34.*

(2) *Bulla* Sanctissimus.

(3) *Decreto Consistoriali die x. Junii 1630. apud Barbosam juris Ecclesiast. lib. 1. cap. 4.*

XII. vagus fuisse videtur. Etenim nunc major, nunc minor eorumdem numerus; donec Sixtus V. decreverit, ut Cardinales septuaginta non excederent: scilicet sex Episcopi Suburbicarii, quinquaginta Presbyteri, et quatuordecim Diaconi. At quia veluti Occidentis perpetuam Synodum repræsentant, Concilium Basileense primum (1); dein Tridentinum (2) ex diversis nationibus assumi, et iisdem ac Episcopi, dotibus præfulgere voluerunt.

VI. Præcipuum Cardinalium munus est Papæ opera, et consilio in Ecclesiæ regimine adesse in Consistorio; quam vocem Principis senatum in re civili denotantem Papae sibi adsciverunt. Porro Consistorium duplex est: *ordinarium* scilicet, et *extraordinarium*. In Consistorio ordinario nonnisi Cardinales cum Pontifice adsident. Extraordinarium vero, magisque solemne est, cui præter Cardinales, Prælati, aliique ministri intersunt; quod et publicum vocari consuevit. Olim in Consistoriis omnes etiam minoris momenti causæ agebantur: tractu temporis receptum est, ut in Consistoriis graviora tantum negotia, quæ gratiosam, et politicam formam habent, explicentur, levioribus causis ad Cardinalium Congregationes, vel ad Urbis Tribunalia rejectis. Ceterum hodiernis moribus Cardinales in Consistoriis judices non sunt, sed pure consiliarii, liberumque Pontifici est eorum admittere, vel rejicere suffragia.

VII. Consistoria excipiunt Congregationes, quæ definiri possunt: *Coetus Cardinalium per Pontificem instituti, quibus peculiaria quaedam*

(1) *Sess. XXIII.*
(2) *Sess. XXIV. Ref. cap 1.*

negotia, *ipso Pontifice aliquando praeside*, *discutienda*, *ac definienda committuntur*. Rursus hæ duplicis sunt generis: Aliæ enim ordinariæ, quæ stabilem, ac perpetuam formam habent, quæque determinata quaedam negotia tractant, uti sunt Congregationes *Indicis*, *Inquisitionis*, *Interpretationis Concilii Tridentini*; *Sacrorum Rituum*: *de negotiis Episcoporum*, et *Regularium*: aliæ vero sunt extraordinariæ, quæ pro peculiaribus quibusdam negotiis præter consuetudinem incidentibus cogi solent, quibus finitis dissolvuntur. Sunt et aliæ, uti *Sacrae Consultae* pro causis criminalibus Pontificiæ ditionis extra urbem: *Tribunal Capitolii* pro causis civilibus intra urbem; aliæque his persimiles. Verum pleræque ex his ad Principatum potius, quam ad Sacerdotium pertinent: nec Cardinales, sed Prælati his addicuntur.

TITULUS. IX.

De legatis ecclesiasticis.

I. Legatorum usus in civili republica receptus in Ecclesiastica quoque jam inde a primis temporibus invaluit. Antiqua enim Ecclesiastica monumenta Legatorum mentionem faciunt, qui passim ab Episcopis ad Synodos, vel ad Principes, aut a Synodis ad Sedem Apostolicam ob negotia mittebantur.

II. Jam vero supra ceteros semper emicuere Legati sedis Apostolicæ: iique tam veteri, quam jure novo triplicis sunt generis. De singulis breviter, et singillatim.

Primum Legatorum genus jure veteri nobis exhibent illi, qui cum ad sedis Apostolicæ vices gerendas mitterentur, plena donabantur legatione, iisdemque fruebantur prærogativis, quibus si Pontifex adesset, uteretur. Quare in Synodo Nicæna 1. Vitus, et Vincentius licet Presbyteri Synodo præfuere, et ante omnes Episcopos decretis subscripsere.

Alterum Legatorum genus constituunt *Apocrisarii*, qui et Responsales audiverunt, quod responsa, idest mandata Pontificis, a quo missi erant, exequebantur. Hi enim assiduam in Urbe Constantinopoli moram trahentes, omnibus Ecclesiasticis negotiis emergentibus præsto erant apud Imperatores, Pontificem de rebus dubiis consulebant, eumque de Ecclesiarum Orientis statu crebro certiorem faciebant.

Tertii generis Legati sunt Episcopi, qui in suis provinciis perpetuo Apostolicæ sedis sustinet vices: ii dicti sunt Legati *Nati:* quod eas tenent Ecclesias, quæ perpetuo adnexum habent Apostolicum Vicariatum: quo factum est, ut per ipsam Episcopatus adeptionem Legati Apostolici, seu sedis Apostolicæ Vicarii sint constituti, seu nati. Antiqua hujusmodi Legatorum exempla habemus in Episcopo Arelatensi per Gallias, et in Tehessalonicensi per Illiricum, aliasque provincias.

III. Jure novo etiam triplex sedis Apostolicæ Legatorum genus videmus, nimirum Legatos á *latere* Legatos *minores*, seu *nuntios*, et Legatos *natos*.

1.° Legati a *latere* sic dicti, quasi a latere Pontificis dimissi, sunt Cardinales, atque iis ve-

teris juris Legatis haud dissimiles esse videntur, qui ad Apostolicæ sedis vices fungendas mittebantur. Legato a *latere* in aliquam provinciam adventante, alterius si qui ibidem sit, minoris Legati cessat auctoritas (1).

Porro Legati a *latere* potestatem habent excommunicatos ob Clericorum percussionem absolvendi: vacantia beneficia conferendi, etiamsi jus præsentandi ad patronum clericum pertineat: in causis qua civilibus, qua criminalibus judicandi: enormium criminum reos absolvendi: quaslibet Ecclesias quocumque modo exemtas visitandi: in Ordinibus suscipiendis, et in Matrimonii impedimentis dispensandi. De his fusius videsis Fagnanum. (2).

Legati quasi a *latere*, seu *minores*, et vulgo *Nuntii*, sunt, qui apud Reges resident, eamque in provinciis, et regnis jurisdictionem explicant, quam *Brevia Pontificia* exprimunt. Nam ex Cardinali de Luca (3) Nuntiorum jura *pendent a tenore facultatum.*

Denique Legati *nati* jure novo iis ferme similes putantur, qui jure antiquo ex suarum Ecclesiarum privilegio legationis munus obibant. Hujusmodi prærogativa fruuntur Episcopi Cantauriensis, et Eboracensis in Anglia: Arelatensis, et Lugdunensis in Gallia: Toletanus, et Bracarensis in Hispania: Pisanus in Italia pro Corsica: aliique.

IV. Et sane non abs re erit hic aliquid de Siculorum Regum legatione addere. Rogerius Nor-

(1) *Cap. 8. de officio Legati.*
(2) *De officio legati.*
(3) *Discursu XXXIII. ad Conc. Trid. num 21.*

manus Calabriæ, et Siciliæ comes, postquam Saracenos e Sicilia expulit, ægre ferebat Episcopo Traynensi ad vitam in ejus insulæ Ecclesias legationem Pontificiam fuisse demandatam. Ergo Urbanus II. ut Rogerii de Ecclesia benemeriti animum deliniret illum, ejusque heredes sedis Apostolicæ perpetuos Vicarios per Siciliam constituit. Quam legationem Siculi *Monarchiam* adpellant. Itaque legationis munus non solum Episcopis; sed etiam alicui Principi a Sede Apostolica demandari solet.

TITULUS X.

De patriarchis, exarchis, et primatibus.

§. I. Unde nomen Patriarchae?
II. Quot in Eccelsia Patriarchæ?
III. Patriarcharum origo?
IV. Ecclesiastica Hierarchia, cur cum civili politia conformis.
V. Quæ R. Patriarchatus confinia?
VI. Quae Patriarcharum jura?
VII. Qui sunt Primates in Ecclesia Occidentali.
VIII. Quae eorum jura?
IX. Quid de Patriarchis Latinis titularibus.
X. Qui sunt Patriarchæ minores?

1. Jam vero primum omnium vox *Patriarcha* principem familiæ, vel tribus significare videtur. Nam apud Hesychium το Πατρια idem est, ac φυλαι: et apud Suidam primus alicujus familiæ; ex quo descendunt alii, Patriarcha dictus est. Hinc non sine ratione Episcopis Christianis, quorum jurisdictio super integram aliquam imperii Diœcesim sese extenderet, Patriarchæ nomen datum est: idem quod in Concilio Chalcedonensi anno CCCCLI habito primum factum est. Etenim ante id temporis Archiepiscopi, et Exarchi diceban-

tur: et qui nunc Archiepiscopus, olim Metropolitanus appellatus est.

II. Etsi ante Synodum Chalcedonensem nomen Patriarchæ ab Ecclesia non sit adhibitum, tamen sex fuisse videntur in universo Christiano orbe Patriarchæ: Romanus scilicet, Alexandrinus, Antiochenus, Ephesinus in Diœcesi Asiana, Cæsareensis in Pontica, et in Thracica Heracleensis. Verum hi tres postremi Exarchi apud veteres audierunt, et Exarchi Pariarchis aliqantulum inferiores habiti sunt. At lapsu temporis ex hisce tribus Exarchatibus unus postea exorsus est Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarchatus. Profecto Episcopo Byzantino canone III. Concilii Constantinopolitani I. dumtaxat prærogativa honoris post R. Pontificem concessa est; sed paulatim Imperatoribus faventibus, potestatem quandam in tres illas Diœceses exercere cæpit, donec canone XXVIII. Synodi Chalcedonensis clanculum cuso in Asianam, Ponticam, et Thracicam Diœceses Episcopo Constantinopolitano jus Patriarchicum tributum est. Huic inauditæ novitati, regiæque urbis Episcopi ambitioni forti animo intercesserunt Summi Pontifices ad Concilium IV. Lateranense usque, in quo canone V. Constantinopolitanus Patriarchatus probatus est.

Quemadmodum Ecclesia Constantinopolitana ob Imperialem splendorem, ita ob urbis sanctitatem Hierosolymitana obtinuit jura, et privilegia Patriarchatus. Canone enim VII. Synodi Nicænæ Episcopo Hierosolymitano nonnisi honoris prærogativa tributa est post Cæsareensem Metropolitam, cui antea Hierosolymitanus, tanquam suffraganeus suberat. Verum post Synodum Hierosolymitani Episcopi ambitionem intra modum minime coercentes, primum sui Metropolitani jura, dein Pa-

læstinæ subjectionem sibi immerito vindicarunt. Cui incommodo Concilium Chalcedonense actione VII. obviam ire sibi visum est, et Maximi Antiocheni, et Juvenalis Hierosolymorum Episcopi consensione sancivit, ut Antiochenus Episcopus duas Phænicias, et Arabiam; Hierosolymitanus vero tres Palæstinas quisque sub propria haberent potestate. En quinque in universa Ecclesia Patriarchæ, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus.

III. Ut recte Patriarcharum originem adsequamur, distinguendum est in dignitatem Patriarchicam, et potestatem. Et sane Ecclesiarum, Romanæ scilicet, Alexandrinæ, et Antiochenæ dignitas ex eo orta videtur, quod a D. Petro, Apostolorum Principe fundatæ fuerint, uti veterum Patrum testimonia ostendunt apud Thomassinum (1). Itaque ex sedium dignitate potestas quoque effluxit. Etenim cum ex Roma, Alexandria, et Antiochia in vicinas, et circumjacentes regiones Evangelica lux fuerit invecta, facile factum est, ut illæ veluti parentes, ac magistræ et haberentur, et dicerentur. Hinc ubi in illarum regionum civitatibus constituendi forent pastores; hoc jus ad Ecclesiæ matris Episcopum, a qua ipsa profecta est, spectare visum est. Præterea cum identidem hæreses, atque errores erumperent, ad fidem tuendam nihil conducibilius fieri potuit, quam ad Ecclesiæ matris Antistitem confugere, cumque uti parentem in tanti momenti rebus consulere. Itaque ergo a conditoris gloria, et a paternitatis jure, Sedium Patriarchalium dignitas primo, dein

(1) *De N. et A. Ecc. discipl. par. 1. lib. 1. cap 8.*

auctoritas, ac potestas in filias Ecclesias derivavit.

IV. At nec tibi Ecclesiasticæ Hierarchiae cum civili regimine conformitas negotium facessat? Apostoli enim qui universum orbem sortiti erant nihil facilius, feliciusque nihil ad Evangelium disseminandum esse duxerunt, quam in civitate principe fidei semina jacere, ex qua vicina oppida, finitimæque gentes ejusdem fidei lumen exciperent. Idque ex eo magis liquet, quod Antiochia licet a D. Petro fundata est, tamen ordine erat tertia sedes, et Alexandria secunda, quia Alexandria in civili regimine ordine Antiochiæ praestabat (1). Ergo a civili politia, at remotius, a D. Petri dignitate proximius, ab Ecclesiasticis sanctionibus distinctius Ecclesiarum Patriarchalium dignitas, potestas, jurisdictio exorta est.

V. Canone sexto Nicaeno de Patriarchis, Romano scilicet, et Alexandrino sic cautum est: τα αρχαια ηθη κρατειτω, τα εν Αιγυπτω, και Λιβυη, και Πενταπολει, ωστε τον Αλεξανδρειας επισκοπον παντων τυτου εχειν την εξυσιαν: επειδη και τω εν τη Ρωμη επισκοπω τουτο συνηθες εστι: hoc est: *antiquos mores servato in Egypto, et Lybia, et Pentapoli, ita ut Alexandriae Episcopus omnium horum habeat potestatem: quandoquidem et Episcopo in urbe Roma idem mos est.* Quemadmodum hoc Canone de Episcopi Alexandrini potestate clare constat, ita de Romani Patriarchatus confiniis adhuc sub judice lis est. Nos hanc gravissimam controversiam opportuniori loco solvemus.

---

(1) *Idelphonsus Clem. de Arostegui in sua Concordia Pastorali lib. 1. cap. 11.*

VI. Patriarchalium sedium dignitate adserta, et potestate constabilita, jura explicentur necesse est. Praecipua igitur jura haec sunt.

1.° Omnes suae Diœceseos Metropolitas ordinare.

2.° Synodum Diœcesanam indicere, eique praesidere.

3.° Appellationes a Metropolitarum judiciis accipere.

4.° In Metropolitas, iisque negligentibus in eorumdem suffraganeos, si qui deliquerint, animadvertere.

5.° Leges Imperiales, si publicandae erant, ad Metropolitas mittere.

6.° Enormium flagitiorum absolutionem sibi reservare.

7.° Metropolitas, legatos suos constituere.

8.° In rebus momentosioribus a Metropolitis consulendi erant. Haec porro Patriarchica jura per Innocentium III. canone V. Concilii Lateranensis IV. anno MCCXV. coarctata sunt.

VII. Hactenus de Patriachis, nunc de Primatibus. Et sane Primates iisdem ac Patriarchae juribus utuntur, nisi quod Patriarchae jure suo, Primates vero jure a Romano Pontifice mutuato suam exercent jurisdictionem. Hac dignitate olim aucti sunt Episcopi Thessalonicensis in Illirico, et in Galliis Episcopus Arelatensis. Verum saeculo x. receptis putidis Isidori Mercatoris mercibus, novi per Occidentem a Pontificibus instituti sunt Primates: scilicet Lugdunensis, Bituricensis, et Narbonensis in Gallia, Cantauriensis, et Armachanus in Anglia; Barensis, et Salernitanus in Regno Neapolitano, aliique in aliis regionibus.

VIII. Primates jure antiquo:

1.° Appellationes a Metropolitis accipiebant.

2.° Episcopos confirmabant, et Metropolitas ordinabant.

3.° Synodum nationalem indicebant.

4.° Metropolitis, Episcopis, aliisque clericis e suis in alias Ecclesias migrantibus litteras *Formatas*, seu *Communicatorias* dabant.

5.° Denique jus anteferendae crucis eisdem concessum est. Verum hujusmodi Primates paulatim exoleverunt, et in purum, putumque titulum abierunt.

IX. Orientis Patriarchis, et permultis Episcopis a R. Pontificis obedientia deficientibus, et in varios dein errores ruentibus, alii emerserunt Patriarchae, Iacobita scilicet, et Maronita, quorum uterque Patriarchae Antiocheni nomen sibi vindicant: Cophtus, qui Alexandrini; Armeni duo, aliique, quos vide apud Thomassinum (1). Ex his unus Maronita Catholicus est, et in Romana communione persistit.

Latini Patriarchae, nempe Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus nominis, et honoris praerogativa, non vero jurisdictionis jure fruuntur. Horum Patriarcharum, uti et ceterorum titularium Episcoporum origo ab Occidentalibus sacri belli expeditionibus repetenda est. Victa enim Palæstina anno MXCIX, et dein subacto Imperio Constantinopolitano, Catholicorum interesse visum est, ut in singulis civitatibus cum Graecis Episcopis Latini Antistites crearentur; et interea temporis nulla Canonum ratio haberetur. Verum postquam illae regiones

---

(1) *Par. 1. lib. 1. cap. 24.*

iterum in hostium potestatem redactae sunt, Latini Praesules exularunt, sed nihilominus successores titulo tenus pergunt habere, idque variis ex causis, quas Thomassinus enumerat (1).

X. Antiquis Patriarchis novi, quos *Minores* appellant, accesserunt; nimirum Aquilejensis, et Gradensis, qui postea Venetus vocitatus est: Indianus in Hispania: et Lusitanus. De his videsis Vincentium Lupoli (2).

TITULUS XI.

De metropolitis, et pallio metropolitico.

I. Exarchis, et Primatibus paululum minores sunt Metropolitae, quorum origo Apostolis tribuenda videtur. Etenim ex Eusebio (3), et Chrysostomo (4) Tito Ecclesiarum in Insula Creta, et Timotheo Asianae provinciae gubernationem D. Paulus concredidit, ut ipsi deinceps Episcopos in ea-

(1) *Par. I. lib. I. cap. 26.*
(2) *Lib. I. Inst. Canon. cap. V. de Patriarchis* §. 12
(3) *Lib. III. cap. 4.*
(4) *Homil. I. in Epist. ad Titum.*

rundem provinciarum urbibus constituerent. Qua de re haud improbabilis censenda est Petri de Marca sententia, qui sentit Apostolos in Tito, et Timotheo, et fortasse etiam in aliis a se constitutis Episcopis specimen quoddam Metropoliticae potestatis dedisse; complementum vero Ecclesiae reliquisse. Profecto Canones sic dicti Apostolici τȣ πρώτȣ meminere, seu Episcopi in quavis provincia primarii, quem veluti caput reliqui Episcopi agnoscant, et *nihil faciant, quod sit arduum, aut magni momenti praeter illius sententiam.* Igitur jam inde ab Apostolorum aetate Metropolitarum vestigia adparent. Verum ante Nicaenam Synodum illud nomen nullibi invenies. Antea enim *primae cathedrae Episcopi*, *Primates provinciae*: *Principes*: *Patres*: *Senes*: Hujus ultimi nominis ratio illa est, quod in Africa, Carthagine excepta, cujus Episcopus perpetuo Provinciae Africae sic propriae dictae Metropolitanus habebatur, jus Metropoliticum ab alia in aliam civitatem transferebatur, et semper cum seniore provinciae Episcopo migrabat (1).

II. Metropolitae igitur sunt Episcoporum provinciae praesules, sic dicti, quod in urbibus, quae civili politia Metropoles erant, plerumque essent constituti. Quinimmo IV. et V. saeculo jus Metropoliticum Ecclesiasticum cum civili adeo conjunctum est, ut Synodus Chalcedonensis (2) sanciverit: *Si qua civitas potestate Imperiali novata est, aut si protinus innovetur, civiles dispositiones, et publicas, Ecclesiasticarum quoque Parochiarum ordines subsequantur.*

(1) *Cod. Afric. can. 84; et August. epist. 117.*
(2) *Can. XVII.*

III. Metropolitis qui subsunt Episcopi, Suffraganei, hoc est *Auxiliares* appellantur. Hi olim licet decem minimum esse deberent, paulatim tamen receptum est, ut etiam longe minores numero esse possint. Immo non raro contingit, ut quis Metropolitae nomen, et Metropoliticam dignitatem teneat, licet Suffraganei nulli sint.

IV. Accipe nunc Metropolitarum jura ex veteri Ecclesiae disciplina, quorum praecipua erant.

1.° Electiones Episcoporum Suffraganeorum confirmare, eosque ordinare.

2.° Controversias inter Suffraganeos subortas judicare, ab eisque provocationem acceptare.

3.° Synodum provincialem indicere, eique praesidere.

4.° Provinciae universae Ecclesias invisere, et in Canonum neglectus, pravasque consuetudines inquirere.

5.° Episcopos negligenter sese gerentes monere, et corrigere.

6.° Canones, aut leges evulgare, Suffraganeis communicare, et ut observentur, providere.

7.° Sedis alicujus Episcopalis vacantis curam gerere, reditus in tuto ponere, novique Episcopi electionem procurare.

8.° In diem, quo Pascha esset celebrandum, inquirere, et de eo provinciae Episcopos certiores facere.

Quae vero ad Metropolitas pertinent, jure Decretalium, et Tridentino, sequentia numerantur:

1.° Vicarium Capitularem, sede Episcopali vacante, constituere, ubi Capitulum intra octo dies ab Episcopi obitu illum eligere neglexerit. (1)

2.° Quolibet saltem triennio Episcopos ad Sy-

---

(1) *Cap. de suppl. neglig. Prelat. in 6.*

nodum provincialem cogere: negligentes ad officium redigere: ab suis Ecclesiis absentes per fructuum subtractionem ad residentiam compellere (1).

5.º In Dioeceses suffraganeas nullam jurisdictionem exercere, nisi in causa appellationis: in actu visitationis: et in casu devolutionis (2).

V. Pallium, quod antiquitus peculiare quoddam indumenti genus fuit praecipuum Metropolitarum insigne est, a Græcis Ομοφοριον nuncupatum. Et ab initio quidem Pallium Imperatores dabant Patriarchis, et excellentioribus quibusdam Metropolitis: Patriarchae vero Pallium semel acceptum de Imperatoris adsensu ad Metropolitas mittebant (3). Praesentibus moribus in aliam formam abivit. Est enim exigua fascia de candida lana in modum circuli contexta, quæ humeros cingit, habetque ab utraque parte duas lineas in pectus, et in humeros impendentes cum sex nigris crucibus intextis ante, et retro, a dextris, et sinistris; tribusque acidulis aureis consuitur, et adligatur (4).

VI. Porro Romani Pontifices jure nato, atque propria auctoritate, non expectato Imperatorum consensu Pallium concesserunt, ita ut (si fides Luitprando) (5), neque Constantinopolitanus Patriarcha Pallio, nisi permittente Pontifice, uteretur, Tandem in Concilio Lateranensi IV. sancitum est, ut Patriarchae a Pontifice Pallium acciperent; et

(1) *Trid. Sess. XXIII. Ref. cap. 1. et Sess. XXIV. Ref. cap. 2.*

(2) *Can. 1. caus. 9. quaest. III. Cap. 1. de officio Legati.*

(3) *Vigilius Papa epist. 1. ad Auxanium et S. Gregor. M. lib. VII. epist. 5.*

(4) *Cap. 4. de Electione.*

(5) *Apud Baronium an. 934.*

dein ipsi Metropolitis impertirent. Hoc de Oriente. Occidentem quod spectat; Pontifices ab initio Pallium Metropolitis ad suam consecrationem pertinentibus, et Episcopis sedis Apostolicae Vicariis dumtaxat concesserunt. Deinceps hac in re liberatiores fuerunt, donec saeculo VIII. ad finem vergente, omnes Occidentis Metropolitani Pallium adepti sunt, Palliique petitio in necessitatem abivit: quem morem jam receptum probavit Synodus VIII. Generalis (1).

VII. Postquam Pallii petitio in necessitatem abiit, factum est, ut pallio pastoralis officii plenitudo cum Archiepiscopi appellatione conferatur (2). Quapropter Archiepiscopus ante pallium receptum prohibetur Synodum provincialem cogere: chrisma conficere: Episcopos consecrare: aliaque pastoralia munia exercere. Quod non est ita accipiendum, quasi Pallium ipsum potestatis plenitudinem conferat; sed ita exercitium potestatis in ordinatione jam receptae tantummodo post acceptum pallium posse explicari. Ecclesia enim potestati jure divino modum imponere potest.

VIII. Jam vero Pallium intra tres a consecratione menses in Consistorio ab Archiepiscopo petendum est, vel per se ipsum, vel per procuratorem, consueta formula, *instanter*, *instantius*, *instantissime*. Quo facto Pallium non conceditur, nisi prius praestito Fidelitatis, et Obedientiae erga Summum Pontificem juramento. Porro Archiepiscopus si praesens in urbe est, Pallium a primo Diacono Cardinali, si vero absens, ab

---

(1) *Can. XVII. apud Anast. Biblioth.*
(2) *Cap. 3. de auctorit. et usu pallii.*

aliquo Archiepiscopo, cui Papa id delegaverit, accipit: item si Metropolita iterum, aut tertium Ecclesiam mutaverit, secundum, aut tertium Pallium petendum est eo modo, quo supra diximus.

IX Et sane Pallium semel acceptum ita cohaeret personae, ut alius uti illo non possit: itaque cujusque Archiepiscopi proprium est, ut cum illo sepeliendus sit. Metropolitae nec semper, nec omnibus diebus Pallio utuntur: Contra R. Pontifex et semper, et ubique ob potestatis plenitudinem induit Pallium. Qui Pallii confectionem, formam, significationem fusius cupiat addiscere, consulat Vicentium Lupoli *Tom. II. Instit. Jur. Can. cap. VI. de Exarchis, Primatibus, et Metropolitis. §. VI.*

TITULUS XII.

De episcopis.

§. I. Quid vocabulum Episcopi?
II. Episcopi nonnisi populosis civitatibus praeficiendi?
III. Plenitudo sacerdotii in Episcopatu contenta?
IV. Potestas Episcopalis initio nullis finibus inclusa?
V. Inde suis finibus coercita?
VI. Quando potestas jurisdictionis a potestate ordinis sejuncta?
VII. Quae Episcoporum officia?
VIII. Quae Episcoporum munia externam potestatem spectantia?
IX. Quae extraordinaria Episcoporum munia.
X. Quas ob causas a suis Ecclesiis abesse possunt Episcopi.

I. Episcopi apud Athenienses erant magistratus, qui per urbes ad jus dicendum mittebantur; hinc Plutarchus (1). Παντων Επισκοπος Φιδιας,

(1) *In Pericle.*

omnia curabat Phidias. Item *Inspectores*, *Speculatores ;* hinc idem Plutarchus : Θεοι χρηστον επισκοποι, και πονηρων εργων. *Dii bonorum inspectores*, *iniquorumque operum.* Itaque recte apud Christianos sacri gregis pastores, primique custodes dicti sunt Episcopi. Praeterea Episcopi nomen etsi etiam Presbyteris esset antiquitus commune, tamen ut a Presbyteris distinguerentur, aliis honorificis titulis decorati sunt. Quamobrem audierunt *Ecclesiarum Principes*, *summi Sacerdotes*, *Antistites*, *Patres*, *Angeli Dei*, *Christi Vicarii.*

II. Jam vero Episcopi nonnisi fraequentioribus civitatibus praeficiendi sunt: hinc Synodus Sardicensis (1) ita decrevit. *Non licet simpliciter Episcopum constituere in aliquo pago*, *vel parva urbe*, *cui vel unus Presbyter sufficit. Non enim necesse est illic Episcopum constitui, ne Episcopi nomen*, *et auctoritas vilipendatur.* Verum haec Sardicensis constitutio non ubique obtinuit. Nam in veteri Historia Ecclesiastica non desunt exempla Episcopatuum etiam in parvis oppidulis constitutorum.

III. Verumenimvero Episcopi sive in parvis, sive in magnis urbibus constituti, omnes eandem a Christo αμεσως habent sacerdotii plenitudinem. Etenim Christus summus sacerdos est, omni sacerdotii plenitudine auctus. Christus autem Apostolos eadem potestate, qua ipse a Patre missus erat, misit in Mundum. Cum itaque Episcopi sint Apostolorum successores, liquet eandem Apostolorum potestatem in Episcopos a Christo recta

(1) *Can. VII.*

descendere. Hinc Ignatius Martyr (1) Episcopis Christi personam adpingit: *revereamur omnes Episcopum, ut Jesum Christum, existentem filium Patris.*

IV. Potestas Episcopalis origine sua nullis locorum finibus coercetur. Et sane Apostolos in mundum universum ad Evangelium praedicandum Christus misit (2). Et reipsa Apostoli indivulsa caritate, et consensione Ecclesiam administrarunt. Hinc illa doctrina de uno per universam Ecclesiam Episcopatu. *Nemo*, inquit Cyprianus (3) *fraternitatem seducat, nemo fidei veritatem perfida praevaricatione corrumpat: Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.*

V. Administratio Ecclesiae ab Episcopis in solidum confusionem inducebat; praesertim cum Episcopi Apostolis in Ecclesiae regimen, non in caritatem succederent. Qua de re optimum factu visum est, singulorum Episcoporum potestatem certis finibus coercere, nec eos in alienis Ecclesiis posse suam exercere potestatem, nisi ex proprii Episcopi auctoritate (4). Verum ubi Ecclesiae salus periclitatur, Episcopi pristinam potestatem inducent, et ubique terrarum Episcopos agunt (5). Hinc Athanasius ab exilio redux, per Pelusium iter faciens in diversis civitatibus, quae ad suam curam minime pertinebant, fecit ordinationes, ne Ecclesia Christi Ariana perfidia obrueretur (6)

VI. Quoniam a primis Ecclesiæ temporibus Epi-

---

(1) *Epist. ad Trallianos.*
(2) *Marci XVI v. 15.*
(3) *Lib. de Unitate Eccl.*
(4) *Apud Grat. causs. IX. 9. 2. Conc. Trid. Sess. VI. Ref. c. 5.*
(5) *Cyprian. Epist. LXVIII. ad Steph.*
(6) *Socrates lib. II. cap. 22.*

scopus statim atque electus erat, confirmabatur simul, et consecrabatur, hinc nulla in Episcopali potestate apparuit distinctio. At saeculo circiter XI. Episcopi confirmatione ab ejusdem consecratione sejuncta, paulatim receptum est solam electionis confirmationem Ecclesiæ pastorem constituere, et hinc etiam recepta est doctrina, quae in Episcopali potestate ea, quae *ordinis* sunt, a jurisdictione dispescit. Spectat potestas *ordinis* ea, quae characterem Episcopalem requirunt. Jurisdictio vero externam Ecclesiæ administrationem, quam Episcopi per solam confirmationem adquirunt. Et hinc Praelati Inferiores, qui ordinis Episcopalis expertes sunt, sola jurisdictione augentur. Praeterea factum est, ut lex Diœcesana a lege jurisdictionis distingueretur. Lex enim jurisdictionis utramque Episcopi potestatem modo a nobis explicatam ordinis scilicet, et jurisdictionis comprehendit. Lex vero Diœcesana Episcopi potestatem in res Ecclesiasticas, et jura Episcopo debita complectitur; qualia sunt jus Cathedraticum, Synodaticum, aliaque similia quae enumerantur capite XVI. de officio Ordinarii. Quare Monachi a lege Diœcesana exemti habentur, minime vero a lege jurisdictionis; nisi hujusmodi exemtionem speciali privilegio obtinuerint.

VII. Jam vero Episcoporum officia partim ad intrinsecam potestatem; partim ad externam referuntur; partim extraordinaria sunt. Episcoporum officia, quae ad intrinsecam potestatem referuntur, sunt.

1.° Verbi Dei prædicatio. Apostoli enim verbi divini ministerium adeo ad se attinere existimarunt, ut mensarum curam reliquerint, in Diaconosque rejecerint. *Non est aequum relinquere Verbum Dei, et ministrare mensis* (1). At v.

(1) *Act. VI. V. 2.*

saeculo ineunte tam in Africa, quam in Oriente mos inolevit, ut Presbyteri coram Episcopo, aut ex ejus mandato aliquando concionarentur. ut ex Augustini, et Chrysostomi exemplis patet. Tractu temporis hoc munere ab Episcopis justas forsitan ob causas neglecto, et Regularibus, qui posteriori aevo emerserunt, privilegiorum specie sine Episcoporum mandato concionantibus, a Concilio Tridentino cautum est: *ut nullus sive saecularis, sive regularis etiam in Ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo praedicare praesumat* (1).

2.° Sacramentorum administratio. Qua de re S. Ignatius Martyr: *non licet sine Episcopo neque baptizare, neque agapem facere* (2) Verum aucto fidelium numero, Episcopi majoribus curis distenti eam provinciam Presbyteris commiserunt.

3.° Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum ordinatio divinitus Episcopis tributa est. Hinc Concilia, et Patres ordinationes a Presbyteris tentatas declararunt irritas. Ad rem S. Hieronymus: *quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* (3)

4.° Neophytis confirmationem conferre. Hinc S. Hieronymus: *In Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipit Spiritum Sanctum* (4).

5.° Continuas preces fundere: Praedicatio enim ab oratione sejuncta nihil operatur: publicas preces praeire: orationum formulas concipere: librosque eo spectantes evulgare.

---

(1) *Sess. XXIV Ref. cap. 4.*
(2) *Epist. ad Smyrneos.*
(3) *Epist. 85. ad Evagrium.*
(4) *Cont. Lucifer. cap. 4.*

6.° Ex Ecclesiae instituto sacrae quaedam functiones ordini Episcopali adeo sunt adnexae, ut aliis delegari non possint: quales sunt Chrisma; Oleum Sanctum: Ecclesias: sacras Virgines consecrare: et antiquitus pœnitentium reconciliatio ad Episcopum pertinebat.

VIII. Quae vero ad externam Episcoporum potestatem referuntur, sunt.

1.° Fidei depositum sartum tectum custodire. *Depositum custodi*, inquit Apostolus ad Timotheum, *devitans profanas vocum novitates*, *et oppositiones falsi nominis scientiae* (1).

2.° Pauperum, Viduarum, et omnium miserabilium specialem curam habere: bona, et reditus Ecclesiarum tanquam Deo intuente procurare: Ecclesiasticas quaestiones ex Scripturis, et Canonibus decidere: et in Christianos contumaces poenis spiritualibus animadvertere.

IX. Episcoporum denique munia extraordinaria, sunt.

1.° Dissidentes fidelium animos in concordiam revocare, litesque ex æquo, et bono componere (2).

2.° Apud Principes, et Magistratus pro reis intercedere (3). Quantum in hac re Ambrosii, et Augustini eluxit caritas, in compertis est apud omnes. Ex dictis itaque facile colligitur Episcopos jure divino ad residentiam obligari: id quod Tridentini Patres, licet ut fidei dogma definire noluerint, tamen apertissime indicarunt. Etenim pro certo ponunt Episcopos ex Christi præcepto in pastoralia munia incumbere debere, eaque nequaquam ab illis impleri posse, qui gregi suo

(1) *Epist. 1. ad Timoth. cap. 6. v. 20.*
(2) *Epist. 1. ad Corinth. cap. 1.*
(3) *Syn. Sardic. can. VII.*

perpetuo non adsunt. Praeterea Episcopos, qui ultra duos, aut tres menses in singulos annos sine justa causa a Diœcesi absunt, novis poenis coercet, modo id sit sine ullo gregis detrimento, et extra festos dies Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, et Corporis Christi. (1)

X. Porro iidem Patres Tridentini ibidem quatuor recensent causas absentiæ Episcoporum, scilicet christianam caritatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, et evidentem Ecclesiae, reique publicæ utilitatem, dummodo hujusmodi causæ a R. Pontifice, aut Metropolitano, vel eo absente, a Suffraganeo Episcopo antiquiore in scriptis fuerint probatae.

TITULUS. XIII.

De visitatione dioecesis.

I. Episcopalibus muniis hactenus expositis primum locum occupat Dioecesis Visitatio, quae jure novo quotannis, et si Dioecesis satis ampla fuerit, saltem biennio peragenda est (2). In hac re ipse Christus, et Apostoli exemplo suo praeiverunt. Ille enim Judaeae, ac Samariae civitates circuibat (3): isti vero peragrabant civitates,

---

(1) *Sess. VI. Ref. cap. 1. et Sess. XXIII. Ref. cap. 1.*
(2) *Trid. Conc. Sess. XXIV. de Ref. cap. 3.*
(3) *Luc. X.*

et vicos, ut fidem confirmarent (1). Quo factum est, ut primaevae aetatis Episcopi et in Occidente, et in Oriente in hoc munus adimplendum toti incubuerint. Hujus rei testes locupletissimos damus duo Ecclesiae lumina, Augustinum scilicet (2), et Chrysostomum (3). Hanc doctrinam magis firmarunt Concilia Africana (4), Taurinense (5), et Tarraconense apud Gratianum (6). Quando autem Episcopi, aut aegritudine, aliove impedimento detinebantur, per alios sive Presbyteros, sive Decanos, sive Archidiaconos suas paraecias perlustrabant: id quod probavit Tridentinum Concilium (7).

II. Porro Visitationis finem paucis complectitur Concilium Tridentinum: (8) *Visitationum praecipuus scopus sit sanam, orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere: cetera prout locus, tempus, et occasio feret ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere.*

III. Cum Episcopalis Visitatio tam late pateat, quam cura pastoralis, tractu temporis inductae sunt Monachorum, Capitulorum, Hospitalium, quin et Clericorum ab Episcopi potestate exemtiones. Quamobrem Concilium Tridentinum Ecclesia-

---

(1) *Act. IX. v. 32. et seqq.*
(2) *Epist. 237. et 261.*
(3) *Homil. I. in Epist. ad Titum.*
(4) *Can. LII.*
(5) *Can. XXI.*
(6) *Can. 10. Causs. X. q. 1.*
(7) *Sess. XXIV. Ref. cap. 3.*
(8) *Sess. XXIV. Ref. cap. 3.*

sucam disciplinam pristinae, qua fieri potuit, integritati restituere satagens, decrevit (1).

1.° Ut Episcopi visitare Capitula Cathedralium quomodolibet exemta possint.

2.° Beneficia omnia unita, curata, vel non curata, vel qualitercumque commendata.

3.° Omnes, et quascumque Ecclesias tam saeculares, quam regulares.

4.° Monasteria commendata, in quibus non viget regularis disciplina.

5.° Hospitalia, et Sodalitates laicorum, modo non sint ἀμέσως sub Regum protectione. Ceterum cum hoc postremum Tridentini decretum in nostro Regno non fuerit admissum, ex pactis conventis inter Benedictum XIV. et Carolum Borbonium (2) Episcopi tantum in spiritualibus invisere possunt Ecclesias, Cappellas, Hospitalia, et Confraternitates a laicis gubernata: quae omnia vulgo *Extauritae* dicuntur.

IV. Praeterea Episcopis Paraecias suas visitantibus debentur alimenta, seu cibaria, quae *Procurationes* dici solent. Procurationes istae frugales sint necesse est. At mediis saeculis Visitantium rapacitate, fastu, gula in immensum excreverunt. Episcopi enim non ut pastores animarum, sed hostilem in modum, et superbo comitatu, canibusque, et avibus venatoriis Paraecias circuibant. Cui malo remedium frustra praebentibus Conciliis tum Provincialibus, tum Œcumenicis, opportunius occurrit Synodus Tridentina, statuitque, ut Visitatores modesto comita-

(1) *Sess. XXII. Ref. cap. 8.*
(2) *Cap. I. art. 1.*

tu Ecclesias circumirent; nihil etiam sponte oblatum acciperent praeter victualia, quae frugaliter ministranda sunt: gratuitae omnino sint Visitationes, si consuetudo ferat, ut nihil exigatur (1).

V. Episcopis Dioecesim lustrantibus non judiciali, sed paterno more procedendum est. Praeterea nec processus conficiant, nec sententias ferant, nec ordinarias irrogent poenas: Episcopi ubi ita se gerant, exequutionem decretorum, quae in Visitatione facta sunt, nulla exemtio, nullaque appellatio impedire potest. (2)

TITULUS. XIV.

De chorepiscopis.

I. Chorepiscopi dicti sunt, quod essent της χωρας επισκοποι, hoc est ruris, sive pagorum in civitatum territorio Episcopi. Cum enim in pagis, et vicis Ecclesiae quoque multiplicatae essent, e re Christiana esse visum est vicinarum Ecclesiarum regiones Chorepiscopis committere. Frequentes erant saeculo IV. in Oriente, tardius innotuere in Occidente. Eorum enim primum meminit Synodus Regiensis in Gallia an. CCCCXXXI. celebrata.

---

(1) *Sess. XXIV Ref. cap. 3.*
(2) *Conc. Triden. Sess. XXIV. Ref cap. 10.*

II. Jam vero non convenit inter doctos, utrum Chorepiscopi essent mere Presbyteri, an potius veri Episcopi. Sed probabilius videtur Chorepiscopos, suapte natura inspecta, meros fuisse Presbyteros, licet aliquando contigerit, ut Episcopi essent. Id quod in Nicaena Synodo factum est. Cum enim Novatiani Episcopi ad Ecclesiam Catholicam fuerint reversi placuit, ut ii pro Catholici Episcopi arbitrio, vel Presbyteri officio fungerentur, vel ad Chorepiscopi munus admitterentur; *ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.* (1).

III. Porro Chorepiscoporum officium erat Subdiaconos, Lectores, Exorcistas ordinare, et si Episcopi essent, etiam Diaconos, et Presbyteros, venia ab Episcopo urbis prius impetrata; (2) Neophytos confirmare; Virgines consecrare, aliaque Episcopalia munia obire. Praeterea Chorepiscopi in Ecclesia oppidana, praesentibus Episcopis, et Presbyteris sacra peragebant: in Conciliis sedebant, et suffragia ferebant (3).

IV. Chorepiscopi tot honoribus donati aliquando adversus ipsos Episcopos se erigere ausi sunt. Hinc in Oriente primum Chorepiscoporum ordo aetate Balsamonis jam desierat. In Occidente vero tum per Synodos Gallicanas, tum per Pontifices e medio sublati sunt Chorepiscopi, quibus successisse videntur Archidiaconi, aut Decani rurales, de quibus suo loco dicemus.

---

(1) *Synod. Nicaena can. VIII.*
(2) *Syn. Antioch. can. X.*
(3) *Syn. Nicaena in subscript.*

TITULUS XV.

De coadjutoribus

I. Jam vero a primis Ecclesiae saeculis receptum est, ut Episcopi, aliique Ecclesiae ministri aut senio, aut diuturno morbo divexati, aut oneris Episcopalis magnitudine gravati Coadjutores sibi adsciscerent. Sic D. Petrus, ut facilius Occidentis regiones ad fidem disseminandam perlustraret, Linum, et Cletum Coadjutores adsumsit. (1) Sic etiam Gregorio senectute, atque adversa valetudine conflictato Coadjutor accessit Gregorius Nazianzenus ejusdem filius.

II. Porro antiquitus duae Coadjutorum species obtinuerunt. Alii enim Coadjutores dari consueverunt ad tempus; nimirum quousque impotens Praelatus vivit: alii vero perpetui, qui mortuo Antistiti etiam succedunt. Et sane.

1.° Coadjutoria ad tempus finitur vel morte adjuti, vel cessante impedimento, quod ipsi causam dedit. Quare hujusmodi Coadjutoria non est beneficium Ecclesiasticum, sed merum ministerium, uti probant Thomassinus (2), et Gonsalesius (3):

2.° Coadjutoria perpetua, qua mortuis Prae-

(1) *Epiphanius haeres. LVII.*
(2) *Part. II. lib. II. cap. 57.*
(3) *In cap. 6. de cler. aegrotante.*

latis succeditur, frequens fuit in veteri disciplina, nec stantibus antiquis moribus cogitatum est, hujusmodi Coadjutores impotentis Episcopi mortem captare. Sed lapsu temporis, et moribus mutatis hujusmodi Coadjutores veluti hereditarii minus placuerunt; tum quia ad haereditarias successiones captandas via muniretur; tum quia Ecclesiasticis Canonibus interdictum est, ne duo in eadem Ecclesia essent Episcopi (1). Hinc Concilium Tridentinum Coadjutores hereditarios in omnibus beneficiis reprobavit (2): nisi aliud suadeat urgens necessitas, aut evidens utilitas, concessione Romano Pontifici reservata.

III. Coadjutor cum spe successionis olim dabatur et judicio Episcopi, qui ea ope indigebat, et auctoritate Synodi Provincialis, plebe etiam consentiente, aut quaesito solo Metropolitani consensu. Jure novo Episcopis Coadjutores dantur ab uno Romano Pontifice. Nam Coadjutoris datio inter majores causas relata est. Quod si Ecclesiae sint multum ab Urbe remotiores, ipse Episcopus, auctoritate Apostolica cum Capituli adsensu, unum, vel plures sibi Coadjutores adsciscit: et si Episcopus non possit fortasse quod demens sit, tunc duae partes Capituli Coadjutorem constituunt: et si Episcopus nolit Coadjutorem habere, Apostolicis rescriptis Ecclesiae providendum (3). Denique Parochis imperitis Coadjutorem temporarium dandi potestas Episcopo facta est tanquam sedis Apostolicæ delegato (4).

---

(1) *Synod. Nicaena can. VIII.*

(2) *Sess. XXV. Ref. cap. 7.*

(3) *Cap. 5. Ext: de cler aegrot. et cap. unic. eod. in 6.*

(4) *Con. Trid. Sess. XXI. Ref. cap. 9.*

IV. Coadjutor jam constitutus ex Ecclesiæ reditibus, cui inservit, alendus est: sin minus, ex his fructibus, qui ex necessaria Adjuti sustentatione supersunt: quod, si quod superest, satis non sit, ex Parochianorum substantiis, aut aliunde, quod deest, supplendum est.

TITULUS XVI.

De praelatis inferioribus.

§. I. Praelati inferiores qui? eorum species?	III. Praelatorum alii habent usum Pontificalium?
II. Praelati *Nullius* inter ordinarios recensiti.	IV. Potestas inferiorum Praelatorum?

I. In nova disciplina Prælati inferiores sunt, qui Episcopalis ordinis expertes jurisdictionem quasi Episcopalem in Ecclesias, et personas sibi subjectas exercent. Eorum species tres numerantur. Alii enim propriam quasi Diœcesim ab omni alia Diœcesi separatam habent. Alii præsunt clero, et populo alicujus regionis, quæ licet ab Episcopi potestate subtracta sit, in illius tamen Diœcesi, a qua undique circumscribitur, locata est. Alii demum ab Episcopi potestate subtracti certis personis intra alicujus Ecclesiæ, vel Monasterii septa existentibus præsunt: quales sunt ex. gr. superiores Regulares (1).

II. Cujuscumque generis sint Prælati inferio-

(1) *Cardinalis de Petra ad Const. IV. Callixti III. sect. I. Tom. V. et Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. II. cap. II.*

res, omnes jure proprio jurisdictionem exerceant. Qui propriam quasi Diœcesim ab omni alia Diœcesi prorsus separatam habent, ceteris præstant, et Prælati *nullius* proprie dicuntur, et inter locorum ordinarios numerantur. Et sane in nova disciplina *Ordinarii* nomine tam Episcopi, quam Prælati *nullius* intelliguntur: cum contra Episcopi nomine veniant tantum Antistites, qui Episcopali ordine macti sunt. Demum Prælati, qui Ecclesiam in alicujus Episcopi Diœcesi habent, minus proprie Prælati *nullius* nuncupantur.

III. Porro Prælati inferiores alii Monachi sunt, et Regulares, alii vero Clerici nulla regularis vitæ professione initiati. Item alii usu Pontificalium aucti sunt: alii tanto honore carent. Quicumque vero sint Praelati inferiores concessis Pontificalibus ex privilegii forma, et adhibitis limitationibus utuntur (1). At ut Episcoporum salva semper maneat præeminentia, inferiores Prælati in Conciliis diversa ab Episcopis mitra utuntur (2).

IV. Quod vero Prælatorum inferiorum potestatem spectat, animadvertendum est, Prælatis inferioribus denegari functiones, quæ ab Episcopali ordine pendent. Verum iisdem ex privilegio licet quasdam functiones Episcopis addictas exercere. Hinc Abbates in Ecclesiis, quas *pleno jure*, hoc est in spiritualibus, et temporalibus regunt, sollemniter populo benedicunt (3): Item consecrant vasa ad Eucharisticum usum, et nonnulli etiam sui ordinis Ecclesias. Item Abbates, qui sacerdotio initiati sunt, et sollemnem Abbatis con-

(1) *Ex Sacr. Congreg. decret.*
(2) *Cap. 6. de privileg. in 6.*
(3) *Cap. 3. de privileg. in. 6.*

secrationem acceperunt, suis subditis primam Tonsuram, et minores Ordines suo jure conferunt (1) reliqui vero expresso privilegio indigent.

Quod vero spectat ad Prælatorum inferiorum jurisdictionem permulta sunt, quæ exercere vetantur. Et quidem.

1.° Vetantur habere Diœcesanam Synodum, nisi expresso privilegio fuerint aucti, et privilegium in usum deductum sit.

2.° Vetantur seligere Examinatores ad conferendas per solemne Examen Ecclesias Paræciales (2).

3.° Vetantur dare litteras dimissorias ad ordines suscipiendos Clericis sæcularibus sibi subjectis, sed horum omnium ordinationes vel ad Episcopum viciniorem, si Prælati quasi Diœcesim ab omni alia Diœcesi separatam habent, vel ad Episcopum Diœcesanum, si Ecclesia Prælati inferioris in Diœcesi alicujus Episcopi existat, pertinent (3).

---

(1) *Conc. Trid. Sess. XXII. Ref. cap. 10.*
(2) *Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. II. cap. II.*
(3) *Trid. Con. Sess. XXIII. Ref. cap. 10. et Bened. XIV. loco citato.*

TITULUS XVII.

DE ELECTIONE, CONFIRMATIONE, ET CONSECRATIONE EPISCOPORUM.

I. Quamvis ab primis usque temporibus Apostoli Episcopos Ecclesiis præficerunt, eosque aliquando sortitione, ut in Matthiæ electione factum est, sæpius ex primitiis de conversis Gentilibus, interdum divina inspiratione cooptarent, tamen post excessum Apostolorum communior ad sacrum ministerium promovendi modus est Electio sic proprie dicta, quæ definiri solet: *personae idoneae ad Ecclesiae vacantis, aut personarum regimen canonice facta vocatio.* Itaque ergo diversis temporibus diversa ratione in sacrorum ministrorum electionibus se gessit Ecclesia. Et sane per octo priora sæcula plebs, sed tantum urbana jure proponendi, petendi, testandi aucta est: Clerus plebis vota, petitiones, testimoniaque expendebat; ea si improbaret, ad alterius designationem plebem hortabatur: tum Synodus Provincialis propositam electionem vel confirmabat, vel rejiciebat: demum electus a Metropolitano consecrabatur. Ergo ad sacros Antistites eligendos Populus, Clerus, Episcopi provinciæ,

et Metropolitanus simul concurrebant. Porro hic modus eligendi non solum in Episcopis, et Presbyteris, sed etiam in reliquis inferioribus clericis locum habuit. Verum cum turba populi in factiones degenerasset, institutus est Episcopus *Interventor*, seu *Visitator*, qui a Metropolitano vacantis Ecclesiae interim custodiam accipiebat, et electionis negotium procurabat (1). Ubi inter eligentes de certa persona conveniebat, electionis fiebat decretum, quod ab ipso Interventore, et eligentibus subscriptum ad Metropolitanum pro confirmatione mittebatur. Interventor hoc officium non ultra annum procurabat: eoque expleto, alius *Interventor* Ecclesiæ vacanti dabatur. Præterea hoc medio tempore, populo sæpius in contraria scisso, acciri coeperunt Optimates, et Magistratus, et in quibusdam extraordinariis casibus Romani Pontifices etiam extra sui Patriarchatus limites Episcoporum electionibus intercessere. Denique ubi populares Episcoporum electiones in utraque Ecclesia desueverunt, totum electionis negotium in Oriente cessit Episcopis provinciae, et Metropolitano; in Occidente vero ad unum Canonicorum Cathedralium collegium redactum est.

II. Devolutis ad Canonicorum Cathedralium collegia Episcoporum electionibus, tres emersere electionis formæ ex Decretalium jure, scilicet scrutinium, compromissum, et inspiratio.

1.° Per inspirationem fit Electio cum omnes, qui eligendi jus habent veluti supremo numine ducti, in unam personam conveniunt: id quod si in Summo Pontifice accidat, Electio facta dici-

---

(1) *Can. 16. et 19. distin. 61.*

tur per *Adorationem*. Haec electionis species jampridem recessit.

2.° Per compromissum fit Electio, cum Capitulum, nemine dissentiente, omne jus suum in unum, vel in plures sive Canonicos, sive extraneos transfert: et sic penes unum, vel plures est eligendi arbitrium. Porro a Compromissariis mandati forma religiose observanda est, alias nulla erit electio (1). Et si electionis forma a Capitulo non est Compromissariis mandata, electio secundum canonicas formas peragenda est.

3.° Ut per *Scrutinium* fit Electio, tres e Capitulo eliguntur *Scrutatores*, qui secreto, et singillatim suffragia exquirunt, pura, certa, conditione omni, et ambiguitate vacantia. Collecta suffragia statim publicantur, et is electus censetur, in quem omnes, vel sanior, quæ ex Bonifacii VIII. constitutione est etiam major pars Capituli, consentit (2). Verum ne electiones suffragiorum ponderatione in rixas abirent, moribus invaluit, ut in quem major pars Capituli consenserit, is electus habeatur. Per Scrutinium quoque dicitur fieri electio, cum quisque eligentium suffragium in schedula scriptum in urnam projicit, ut suffragiis numeratis, is, in quem plura conveniunt, electus intelligatur.

III. Quamvis Summi Pontifices una ex tribus hactenus dictis formis sint eligendi, eorum tamen electio multa habet particularia. Et sane electio Pontificis ab unis Cardinalibus uno Conclavi inclusis facienda est; in quod Cardinales præsentes, ubi per decem dies expectaverint ab-

(1) *Cap. 23. de Electione.*
(2) *Cap. 43. in 6.*

sentes, ingrediuntur (1). Interim Cardinalibus absentibus in urbem venientibus licitum est, re adhuc integra, Conclave ingredi, uti egressis revertere. At nondum ingressis, aut egressis nullum est suffragium. Item ut Pontificis electio rata erit, duæ Cardinalium partes in unum conveniant necesse est. Itemque nullus Cardinalium excommunicatus, suspensus, aut interdictus ab electione excludendus est (2). Immò potest quis ex clericis non Cardinalibus in Pontificem eligi; attamen ab Urbano VI. ad hæc usque tempora semper ex Cardinalibus renunciatus est Pontifex.

IV. Jam vero jure Decretalium plura in electione requiruntur tum ex parte ipsius electionis; tum ex parte eligentium; tum ex ipsorum eligendorum parte. Et sane ex parte ipsius electionis requiritur.

1.° Ut Ecclesia vacet; quo casu Antistiti prius justa persolvantur oportet (3).

2.° Ut qui jus habent ferendi suffragii, citentur, dummodo sint in provincia. Quod si vel unius citatio neglecta fuerit, electio vitiatur, etsi justo suffragiorum numero polleat, nisi qui vocatus non fuerat, ratam electionem habuerit,

3.° Si absens accedere impediatur, potest consensu Capituli impedimentum jurejurando probare, et suffragium per instrumentum Procurationis uni ex Canonicis mandare, vel etiam extraneo, Capitulo consentiente. Immo non unum,

---

(1) *Cap. 3 de electione in 6. et Clem. 2. de elect.*
(2) *Clem. 2. de elect.*
(3) *Cap. 35 de Electione.*

sed plures Procuratores ad eligendum licet constituere, non quidem ut simul admittantur, sed ut qui in suffragio ferendo prævenerit, præferatur (1).

4.° Qui nomine alterius eligit, et suo, non potest ancipiti conscientia dividere suffragia in diversos, nisi ad certam personam eligendam fuerit constitutus (2).

5.° Electio in Ecclesia Cathedrali, et intra tres menses a die vacationis peragenda est: intra sex vero menses, si vacant Dignitates minores perpetuæ, quibus elapsis eligendi facultas cum iisdem spatiis ad proximum superiorem pervenit, ab eoque ad alium, donec ad Summum Pontificem deveniatur. Quod si Ecclesia fuerit exemta, electio statim ad Pontificem devolvitur (3).

Quod vero ad eligentes spectat.

1.° Uni Cathedralis Ecclesiæ Canonici jus habent Episcopum eligendi; et qui ex consuetudine, pacto, vel privilegio eo jure aucti sunt, modo laici non sint (4).

2.° Alii a lege, alii a natura eligere prohibentur. Impuberes, furiosi, mentecapti ob infirmum consilium ipsa natura eligendi jure privantur (5). Suspensi vero, interdicti, et qui majori excommunicatione illigantur per judicis sententiam, ipsa lege eodem jure spoliantur (6). Item haeretici, schismatici, apostatæ, si publice denuntiati sunt,

---

(1) *Cap. 46. de Elect. in 6.*
(2) *Cap. 46. de Elect. in 6.*
(3) *Cap. 41 de Elect. Cap. 5. de concess. Praebendae.*
(4) *Cap. 8 de Consuetudine.*
(5) *Cap. 52. de Elect. in 6.*
(6) *Cap. 1. de cleric. excom.*

vel opposita saltem exceptione repulsi (1). Demum qui sacros ordines nondum susceperunt (2)

3.° Jure eligendi ad tempus spoliantur, qui laicos ad suffragium ferendum admiserint: item qui electionem ultra tempus a lege præscriptum protraxerint: qui normam a jure præscriptam in electione servare neglexerint: denique qui sciens prudens indignum elegerit. Ceterum ubi pars eligentium dignum elegerit, tota eligendi potestas ad eos devolvitur. (3).

4.° Denique nemo eligentium potest suffragium in semetipsum convertere (4) quod nullum non est, si idem accidat in electione per Compromissum (5).

Postremo qui eligi possunt, paucis explicabimus.

Et quidem 1.° Episcopus nemo eligi potest, qui nondum trigesimum ætatis annum expleverit, et qui justis ex nuptiis non sit procreatus (6). Quin Patres Tridentini voluerunt, ut nemo Episcopus eligatur, nisi *Doctor*, vel *Licentiatus* in Theologia, vel jure Canonico, vel publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios edocendos judicetur (7).

2.° Eligi vetantur Episcopi, haeretici, excommunicati, criminosi, iique omnes, qui sex saltem ante menses, quam eligantur, sacros ordines non suceperint (8).

---

(1) *Extrav. ad* evitanda.
(2) *Clement* 2. *de aetat. et qualit.*
(3) *Glossa ad cap.* perpetuo *7. de Elect. in 6.*
(4) *Cap. 26. de Jurepatronat.*
(5) *Cap. 35. de Elect.*
(6) *Cap.* cum in cunctis *7.* de *Elect.*
(7) *Sess. XXII. Ref. cap. 2.*
(8) *Trid. Conc. Sess. cit.*

3.° Eligi prohibentur, qui aliam Ecclesiam, aut alicujus beneficii curam in titulum retinent, nisi eam dimittere velint. Monachi vero, et Regulares sine suorum superiorum facultate. Ad Parochialem vero Ecclesiam sive in titulum, sive in commendam administrandam nemo idoneus censetur, nisi annum vicesimum quintum attigerit, et intra annum sacros ordines suscipiat. (1).

V. Quædam electionis species, sed extraordinariæ jure Decretalium est Postulatio, quæ definiri potest: *Concors Capituli petitio ad Superiorem directa, ut ex indulgentia eum in Episcopatum admittat, qui ad illum assumi impedimento canonico prohibetur:* veluti ex. gr. si in Episcopum postuletur triginta annis minor, aut alienæ Ecclesiæ Episcopus. Ergo in postulatione fit primum electio eo modo, quem supra indicavimus; inde preces ad superiorem diriguntur, ut per indulgentiam postulatum admittat. Si postulentur Episcopi, Superior, qui veniam debet indulgere, est Summus Pontifex (2): proximi vero Superiores, si inferiores Prælati postulentur. Et quoniam a superioris venia pendet postulationis admissio, postulatus ante impetratam veniam nullum jus adquirit, et Capitulum re integra, mutare potest sententiam.

VI. Episcoporum electiones apud Capitula Cathedralium non diu steterunt. Et sane primus omnium Clemens IV. Ecclesias Cathedrales, Dignitates, aliaque beneficia apud Curiam Romanam vacantia Sedi Apostolicæ reservavit. Mox alii Pon-

---

(1) *Cap.* cum in cunctis *7. de Elect.*
(2) *Cap. 4. ext. de postulat. Praelat.*

tifices novas induxerunt reservationes; donec posteriores Pontifices per Regulam II. Cancellariæ omnes Ecclesias sive Patriarchales, sive Metropolitanas, sive Episcopales etiam apud Curiam Romanam non vacantes Sedi Apostolicæ reservarunt. Porro reservationum causæ a R. Pontificibus inductarum fuerunt partim electiones ultra tempus protractæ; partim frequentes inter Reges, et Papas discordiæ; partim vel maxime gravia inter eligentes, et electos dissidia ad Sedem Apostolicam delata. Apostolicis reservationibus hinc Collegia Canonicorum, hinc Principes Christiani magnis animis obstiterunt. Quamobrem hujusmodi reservationes in Concilio Basileensi antiquatae sunt, iis tantum exceptis, quæ sexto libro Decretalium insertæ apud Sedem Apostolicam vacarent (1). Basileensis Concilii decreta fere ubique non fuerunt recepta. Quare Pontifices Christianæ Reipublicæ bono varia cum Principibus pacta conventa sanciverunt, quibus factum est, ut Episcoporum electiones partim Regibus, partim Canonicorum Collegiis iterum cesserint, uti in Germania. At in praesentiarum mutata forma Germanici Imperii, novisque in illa regione exortis Regibus res alia ratione se habet. Et in utriusque Siciliæ regno ex postremo fœdere inter Pium VII. et Ferdinandum I. Borbonium inito anno MDCCCXVIII. Nominationes sive Episcoporum, sive Archiepiscoporum Regibus nostris concessæ sunt: at Confirmationes sicuti ubique obtinet, Summo Pontifici reservatæ.

VII. Etsi olim pro electionis confirmatione erat adeundus proximus Superior, veluti pro Episcopi

---

(1) *Sess. XXII. cap. 5.*

confirmatione Metropolitanus, tamen hodiernis moribus ἀμέσως aditur R. Pontifex. Itaque electio electo, nulla mora interposita, denunciari debet, cui ad deliberandum mensis conceditur, intra quem si electus electioni non consenserit, omne jus sibi ex electione quaesitum amittit, et ad aliam electionem devenitur (1). Ubi vero electus, vel electi mandato alius electioni adsenserit, iter ad Sedem Apostolicam intra mensem arripiet ex Gregorii X. constitutione (2). Confirmationem porro praecedat de persona eligenda accurata cognitio, quae quidem tria respicit, scilicet ætatem legitimam, morum honestatem, et sufficientem doctrinam. Ex quibus omnibus acta conflantur, quae committuntur examini Cardinalis *Relatoris*, et aliorum trium Cardinalium, et Cardinales actis subscribere debent, simulque profiteri se omni adhibita diligentia in electo invenire, quae a jure, et a Tridentina Synodo requiruntur. Hæc a Cardinali Relatore Pontifici exponuntur in Consistorio; in quo quidem Pontifex electionem confimare non solet, sed in alio Consistorio. In priori *Praeconizatio*; in altero *Propositio* fieri dicitur. Haec de Episcopis Italiae, et Insularum adjacentium. Verum de Episcopis extra maria, et montes acta in provinciis conficiuntur. Ceterum ante impetratam confirmationem electus Ecclesiae administrationi nequaquam se potest immiscere, nisi velit quaesito jure excidere (3). Accepta vero confirmatione, electus

---

(1) *Cap.* Cupientes *16. de Elect. in 6.*
(2) *Cap.* Nihil *44. de Elect. in 6.*
(3) *Cap.* Avaritia *de Elect. in 6.*

ea omnia, quæ sunt jurisdictionis (1) exercendi jus habet.

Matissa.

Moribus Neapolitanis Episcopus post ipsam confirmationem non potest jurisdictionem expedire, nisi litterae Apostolicæ regio adsensu fuerint munitæ.

VIII. Quemadmodum quæ sunt jurisdictionis, per confirmationem, ita quæ sunt ordinis, per consecrationem in electum transferuntur. Et sane Nicæni Patres voluere, ut consecratio ab omnibus, aut certe a tribus provinciæ Episcopis jussu Metropolitani, vel potius ab ipso Metropolitano, cum omnibus, aut duobus saltem suffraganeis fieret. Quod si ordinandus sit ipse Metropolitanus, omnes adesse debent Suffraganei (2). Ubi vero unus in provincia sit Episcopus, duo saltem e finitimis arcessentur. Qui Episcopi Sedi Apostolicæ αμεσως subjiciuntur, vel a tribus Episcopis per Pontificem delectis, vel ab ipso Pontifice ordinantur (3). Ceterum trium Episcoporum præsentia ad disciplinam, non ad ordinationis integritatem pertinet. Porro intra tres menses Episcopus electus consecrari debet, alias perceptos fructus amittit: delatam Ecclesiam ipso jure amissurus erit, si tres alios ultra menses consecrationem distulerit.

IX. Jam vero si consecratio extra Curiam Romanam peragatur, in Ecclesia ipsa, cui Episco-

---

(1) *Extrav.* Injunctae *de Elect. in Commun.*
(2) *Can. 4.*
(3) *Extrav.* Injunctae *de Elect. in Commun.*

pus præesse debet, aut saltem in provincia celebranda est. Solemnis consecrationis dies est Dominica. Præmitti autem debet jejunium tam ab Episcopo consecratore, quam a consecrando observandum. Tum vero ea consecrationis forma adhibetur, quæ praescribitur a Concilio Carthaginiensi IV. (1).

TITULUS XVIII.

De translatione, renunciatione, et depositione Episcoporum.

§. I. Episcoporum translationes aliquando permissæ?
II. Poenæ in Episcopos translatos?
III. Episcoporum renunciationes, nisi ex justa causa improbatæ.
IV. Quæ causæ renunciationis?
V. Translationes, et Cessiones Episcoporum à quo fiunt?

I. Neque vero Episcopi, et Clericorum omnium cum Ecclesia sua conjunctio est quavis ratione solubilis. Hinc receptum est, ut hujusmodi conjunctio nonnisi tribus modis solvi possit, Translatione scilicet, Renunciatione, et Depositione. De Depositione nos libro III. sermonem instituemus, nunc tantum de Translatione, et Renunciatione. Et primo quod ad Translationem attinet, Episcopos ab Ecclesiis, quas semel regendas susceperunt ad alias transire vetuerunt Concilium Ni-

(1) *Can.* Episcopus 7. *distin.* XXIII.

*

cænum (1), Antiochenum (2), Sardicense (3). Huic interdicto causam præbuerunt tum spirituale conjugium ab Episcopo per consecrationem cum Ecclesia sua initum; tum ambitio, et avaritia Episcoporum, qui ob privata sua commoda sedem mutare adpetunt. Utramque rationem eleganter complectitur S. Hieronymus: (4) *Et hoc in Nicaena Synodo a Patribus decretum, ne de una in aliam Ecclesiam transferatur Episcopus, ne virginis pauperculae societate comtemta ditioris adulterae quaerat amplexus.* Quod si justa causa Episcopum transferri suadeat, translatio tum permittenda est (5); id quod et jure Decretalium, et novissimo jure etiam obtinuit.

II. Peractas sine justa causa Episcoporum translationes Nicæni Patres irritas fecerunt: at Synodus Sardicensis ulterius processit, et voluit, ut sine causa translati Episcopi ne *laica quidem communione* in morte donarentur, hoc est nec in morte a peccatis absolverentur, nec in Ecclesiæ pacem restituerentur. Verum ex canone XXVII. Concilii Carthaginiensis IV. facilius admittuntur inferiorum Prælatorum translationes, quippe quod inter Ecclesias, et Clericos Episcopis inferiores non ea intercedit necessitudo, quæ est inter Episcopos, et Ecclesias.

III. Renunciationis, Cessionis, et Resignationis vocabula promiscue adhibentur in jure Ponti-

---

(1) *Can. XV.*
(2) *Can. XII.*
(3) *Can. I.*
(4) *Epist. 83 ad Oceanum.*
(5) *Conc. Carthag. IV. can. XXVII.*

ficio. (1) Resignare autem, renunciare, et cedere dicuntur, qui Episcopatum, Parochiam, Dignitatem, vel quodcumque beneficium sive sæculare, sive regulare dimittunt. Renunciatio igitur definiri potest: *Actus legitimus, quo quis beneficia saecularia, vel regularia ex certis, et legitimis causis dimittit* Itaque nisi utilitas, aut Ecclesiæ necessitas urgeat, Episcopi non recte Episcopatu se abdicant. Etenim nexus Ecclesiam inter, et Episcopum in ordinatione contractus natura sua perpetuus est, nec tam Episcopi commodum, quam Ecclesiæ salutem spectat.

IV. Porro sex canonicæ renunciationis causæ ab Innocentio III. recensentur (2)

1.ª Conscientia criminis gravioris, cui adnexa est irregularitas.

2.ª Corporis debilitas senio, vel morbis invecta

3.ª Defectus scientiæ in Episcopo necessariæ

4.ª Pervicacia plebis, quæ pastori suo parere detractat. Hoc nomine Martyrius Ecclesiam Antiochenam dimisit his verbis. *Clero rebelli, populo inobedienti, Ecclesiae contaminatae nuntium remitto, reservata mihi Sacerdotii dignitate.* (3)

5.ª Grave scandalum Episcopi occasione subortum, quod alias reparari non potest.

6.ª Denique irregularitas personæ. At irregularitas ob natalium defectum justa renunciandi causa non est. Hoc enim casu cum culpa lateat, injuncta congrua pœnitentia facile venia indulgetur. Ceterum nulla renunciatio valebit, si renuncians

---

(1) *Vide tit. decret. de Renunc.*
(2) *Cap. 10. ext: de Renunciat.*
(3) *Nicephorus Callixtus lib. xv. cap. 18.*

ante diem vicesimum a facta renunciatione decesserit. (1) Praeterea nullius momenti censetur renunciatio beneficiorum litigiosorum, et conjunctorum, antequam conjunctio effectum suum sortita sit. (2) Denique cessiones debent esse purae, et non in alicujus personæ favorem, aut gratiam conceptæ. Edicunt enim Canones, ne Episcopi successores sibi eligant (3). At possunt legitimis superioribus commostrare, quem ad Ecclesiam gubernandam judicant aptiorem.

V. Juxta veterem disciplinam tam cessiones, quam translationes Episcoporum in Synodo provinciæ expendebantur: et inde admittebantur, vel rejiciebantur. Speciatim vero in translationibus præcedebat Canonica Electio, et Principum consensus etiam erat necessarius. (4) Verum circa sæculum x. sensim invaluit, ut translationes, et cessiones Episcoporum una Pontificum auctoritate decernerentur. (5)

(1) *Reg. XVIII Cancellar.*
(2) *Conc. Triden: sess. XIII Ref. 18.*
(3) *Conc. Antioch. can. XXXIII.*
(4) *Thomas. de N. et V. Ecc. discipl. part II. lib. 2. cap. 62.*
(5) *Cap. 2. et 3. Extr. de translat. Episcopi.*

TITULUS XIX.

De Persbyteris, et Parochis.

I. Quos Græci dicunt πρεσβυτερους idest *presbyteros*, a Latinis *Seniores* vocantur; seniores, inquam, non tam ætate, quam sapientia, et gravitate; non secus ac olim Romani dixerunt *Senatores.* Deinde a sacris, quibus operantur, Sacerdotes dici etiam consueverunt. Hæc porro vocabula ab Apostolica ætate Episcoporum quoque fuerunt communia (1). Verum in praesenti causa Presbyteri accipiuntur pro secundi ordinis sacerdotibus, quibus sub Episcopo jus est ferme omnia Ecclesiastica munia obire præter sacram Ordinationem. Et sane Presbyteri prædicant, baptizant, benedicunt, offerunt, et a peccatis absolvunt, uti declarat ipsum Pontificale Romanum.

II. Quaecumque vero sit Presbyterorum potestas, ab Episcopo in omnibus officiis dependent, et sine Episcopi venia acceptam in ordinatione potestatem explicare vetantur. Ad rem S. Ignatius Martyr: *Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad Ecclesiam pertinent.* (2) Idem habent Canones sic dicti Apostolici, Canones Lao-

(1) *Theodoretus in cap. 1. v. 1. Epist. ad Philipp.*
(2) *Epist. ad Smyrn.*

diceni, Arelatenses, Toletani, aliique, quos videsis. Sed in eo magis elucet Presbyterorum potestas, quod melioribus Ecclesiæ sæculis Episcopi sine eorum consilio nihil magni momenti expediebant: hinc Presbyteri Episcopalem Senatum, qui Presbyterium dicebatur, constituebant, uti nos supra innuimus, ubi de Synodo Diœcesana tit. 3.

III. Qui olim Presbyteri, serius Parochi nuncupati sunt, hoc vocabulum Græci peculii est sive a παροικεω, *incolo*, sive a παρεχω, *praebeo*, illud deductur. Hinc quemadmodum apud Romanos Parochi audiebant, qui legatis iter per municipia facientibus ære publico necessaria ad victum præbebant, ita qui alicubi *incolatum*, seu sedem certam tenentes Christiano populo pabula ad animarum salutem suppeditant, potiori jure Parochi appellantur. De Parochis loqui videtur Apostolus, cum ait: (1) *Qui bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur.* De his etiam occurrit mentio apud antiquos Patres. (2) Hinc non pauci Canonistae, et Theologi Parochos divinitus esse institutos esse contendunt. Verum quid sit de hac gravissima inter eruditos controversia, ex antiquissimis monumentis constat Presbyteris, ubi in agris, et inde in civitate institutæ sunt inferiores Ecclesiæ, earum curam perpetuo demandatam esse: et hinc exortæ Parochiae, quae sunt veluti sacrae quaedam viciniæ: et hinc Parochi constituti qui jure proprio, sed *dependenter* ab Episcopo animarum curam habent.

---

(1) *Epist. 1. ad Timoth. v. 17.*
(2) *Athan. Apolog. S. Hier. contr. Lucifer. Innoc. 1. epist. ad Decentium.*

IV. Quoniam Parochi jure proprio inferiorum Ecclesiarum curam administrant, profecto eorum officia a Patribus Tridentinis recensentur sequentia: *oves suas adgnoscere*: *pro his Sacrificium offerre*: *verbi divini praedicatione*, *Sacramentorum administratione*, *et bonorum omnium operum exemplo pascere*: (1) eaque aut per se, aut, si legitimi fuerint impediti, per alios idoneos ministros (2) exercent,

V. Ut Parochialis Ecclesia rite alicui conferatur, nonnulla sunt penitus necessaria:

1.° Ut quis morum honestate ornetur.

2.° Ut sufficienti scientia commendetur.

3.° Ut annum saltem XXV. ætatis attigerit.

4.° Ut infra annum a sibi commissi regiminis tempore numerandum se ad Sacerdotium promoveri faciat; alias ipso jure Parochiali Ecclesia privatus censetur; (3) nisi aut Studiorum causa fuerit cum eo per Episcopum dispensatum; aut per ipsum non steterit, quominus intra anni orbem Sacerdotio initiatus sit.

5.° Ut Parochia nonnisi per *Concursum*, et per eam examinis formam a Tridentino Concilio præscriptam conferatur (4):

6.° Ut denique intra duos a die possessionis menses coram Episcopo, aut ejus Vicario Generali publicam fidei professionem emittat sub poena, ut nec fructus faciat suos, neque illi possessio suffragetur. Quando autem Concursus ad

---

(1) *Sess. XXIII Ref. cap. 1.*
(2) *Conc. Trid. sess. V. Ref cap. 2.*
(3) *Greg. X. cap.* licet *XIV. de Elect. et Elec. potest in 6.*
(4) *Sess. XXIV. Ref. cap. 18.*

formam Tridentinam minime requiratur, inferius dabimus. (1)

MANTISSA.

Quomodo hodie in regno Neapolitano Parochiæ conferantur, sive patronatæ fuerint, sive liberæ collationis; et a quo conferantur, adesis novissima pacta inter Pium VII. et Ferdinandum I. anno MDCCCXVIII. inita.

TITULUS XX.

De diaconis, et diaconissis.

I. Presbyteris gradu minores sunt Diaconi ab Apostolis instituti, ut mensis ministrarent, et in sacrorum ministerio versarentur. (2). Septem ab initio fuerunt ordinati. Deinde pro Ecclesiarum diversitate varius eorumdem numerus extitit. At in Ecclesia Romana septenarius Diaconorum numerus diutius permansit.

II. Diaconorum officia plura sunt, eaque partim in Ecclesia, et partim extra Ecclesiam explicabant Diaconi. Non enim minus in spiritualibus, quam in temporalibus Ecclesiæ ministrabant.

---

(1) *Sess. XXIV. Ref. cap. 10.*
(2) *Act. 7. et 8.*

Igitur 1.° Diaconi Sacerdoti sacris operanti præsto sunt. Hinc tantum sibi licere crediderunt Diaconi, ut Sacrificium offerre adtentaverint. Item Eucharistiæ dispensatio ad Diaconos attinebat. Verum Synodus Nicæna (1) vetuit ipsos Presbyteris Eucharistiam porrigere: et Synodus Carthaginiensis IV. ne populo quidem voluit illos Eucharistiam distribuere, præsente Presbytero. (2)

2.° Diaconi jure suo baptizant. At Galasius Papa baptizandi potestatem ita contraxit, ut nonnisi urgente necessitate, et Presbytero absente baptismum sollemniter ministrent.

3.° Diaconi prædicant verbum Dei: id quod exemplis tum Philippi, et Stephani, tum Origenis, Chrysostomi, et Gregorii M, quos Diaconos sermones habuisse memoriæ proditum est, comprobatur.

Præterea ad Diaconos etiam pertinuit.

1.° Cura viduarum, et pauperum.

2.° Confessorum, et Martyrum. (3)

3.° Episcopum in publicum procedentem anteibant Diaconi.

4.° Quæ minus honesta inter fideles perspiciebant, ad Episcopum referebant.

5.° Demum Episcopum ad populum concionem habentem custodire solebant. Verum moribus præsentibus omnia ferme Diaconorum officia collapsa sunt, et solummodo in Missa sollemni canunt Evangelium.

III. Præter Diaconos olim fuerunt in Ecclesia

---

(1) *Can. VIII.*
(2) *Can. XXXVIII.*
(3) *S. Cyprian. II. Epist. 3.*

etiam Diaconissæ piæ quedam vetulæ, quæ ea exercebant munia, quæ magis fœminarum esse decebat: veluti adesse baptismo foeminarum olim per immersionem dari solito; fœminas Cathecumenas privatim instituere, aliaque similia obire. Verum cum jam inde a multis saeculis earum officia nullius usus evasissent, in utraque Ecclesia esse desierunt.

TITULUS XXI.

De subdiaconis, aliisque inferioribus clericis.

§. I. Ordines inferiores qui in utraque Ecclesia? | II. Minores ordines a Diaconatu exorti?

I. Inferiores Ordines jam inde a primis Ecclesiæ orsis fuisse Ecclesiastica monumenta testantur. Ast numerus in Latina Ecclesia non fuit idem, qui in Ecclesia Græca. Etenim Cornelius Papa (1) Auctor libri pontificalis in *Cajo*, Synodus Carthaginiensis (2) IV, Isidorus Hispalensis (3), aliique recensent inferiores ordines, Subdiaconatum nempe, Acolytatum, Exorcistatum, Lectoratum, et Ostiariatum. Verum Ecclesia Græca licet antiquitus plures, quam Latina ordines inferiores habuerit, uti Ψαλτας, *cantores*: *Laborantes*, seu fossarios; *Parabolanos*, seu qui ægrotos curabant: Υποδιακονους, *subdiaconos*, Αναγνωστας, *Lectores*, alio-

(1) *Euseb. lib. VII. cap. 43.*
(2) *Can. VI et IX.*
(3) *Lib. VII. Etymolog.*

sque; tamen in præsentiarum nonnisi Lectores, et Subdiaconos admittit. (1).

II. Inferiorum ordinum primævam institutionem persequentes cum S. Thoma recte asserimus eosdem esse veluti quasdam Diaconatus portiones aliis atque aliis temporibus ab eo discerptas. Igitur haud male dixeris illos in suo fonte, Diaconatu scilicet, tanquam surculos scaturientes, institutionis esse divinæ. De minorum Ordinum materia, forma, officiis res est apud omnes notissima, et præsertim apud eos, qui hisce Ordinibus initiandi sunt.

TITULUS XXII.

De jure promovendi ad ordines.

I. Jam vero jure antiquo illi tantum sacris Ordinibus ab Episcopo initiebantur, de quorum vita, moribus, ætate, ac natalibus plebs suum ferret testimonium. Hinc non raro fiebat, ut multi

(1) *Thomass. part. 1. lib. 11. cap. 31*

sive laici, sive clerici non sponte sua, sed potius aperta vi inflammatæ plebis, summoque studio, ac clamore rapti ordines acciperent (1). Quinimmo ii sacro ministerio digni habebantur, qui inviti initiarentur. (2) Tractu temporis in plebis, clerique locum successit Archidiaconus (3), cujus partes erant de moribus, ætate, vitæque ratione inquirere, et ad Episcopum referre. Hoc Archidiaconi officium non diu perduravit, in meramque abiit caeremoniam. Sed nunc temporis non erit a lethali culpa immunis, ubi Presbyterum, vel Diaconum, quem indignum sacro ministerio novit, dignum pronunciaverit. (4)

II. Porro jure Tridentino cautum est, ut sacris ordinibus initiandi per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, *qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videtur, committat, ut nominibus, ac desideriis eorum, qui volunt promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus, ac vita a fide dignis diligenter exquirant, et litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum Episcopum quam primum transmittant.* (5) Hanc totam rationem a Patribus Tridentinis propositam, forma paululum, sed in melius, utiliusque immutata, et quidem quoad omnes ordines, et ipsam primam Clericalem Tonsuram servanda, in singulis Diœ-

---

(1) *S. August. epist. CCIV. al. CLXXIII. ad Donatum et Origen. lib. VIII. cont. Celsum.*
(2) *L. 31. C. de Episcopis, et Clericis.*
(3) *Synod. Carthagin. IV. can VIII.*
(4) *Sess. XXV. Ref. cap. 5.*
(5) *Cap. unic. de Scrutinio in Ordine faciendo.*

cesibus, publico Ecclesiæ bono, obtinere res est apud omnes notissima.

III. Ordines gradatim esse suscipiendos nos edocet Ecclesiastica disciplina. Inferiora enim ministeria rudem sensim expoliunt animum, et Clericorum vitam, morumque probitatem produnt. Hanc disciplinam magis firmavit Synodus Sardicensis (1). Verumenimvero olim necesse non erat, ut quis omnes inferiores ordines percurreret. Etenim non solum ex minoribus ordinibus unus, pluresque omittebantur, sed ipsi etiam majores ordines aliquando non omnes conferebantur. Et sane Presbyteratum ex. gr. ubi Diaconi in Episcopos eligebantur, in Ecclesia Romana omitti contendunt Auctores gravissimi, primumque ex Diaconis in Pontificem electis S. Gregorium VII. fuisse asserunt, qui prius Presbyteratu initiatus est, et sequenti die in Pontificem consecratus. Eadem enim sacramentalis forma varios illorum ordinum effectus exprimit, et parit; idemque sensibile signum longius protractum virtute multiplex habetur. (2) Verum lapsu temporis disciplina mutatur, et omnes omnino ordines suscipiendi sunt: ita ut nemo ad Diaconatum promoveatur, nisi prius fuerit Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus; quin ex novissima disciplina receptum est, ut nullus ad minores ordines ascendat, nisi prius clericali tonsura initiatus sit, nullusque clericali Tonsura initiandus, nisi prius Confirmationis Sacramentum susceperit. Ex hoc igitur factum est, ut omnes Ordines continua serie suscipi

---

(1) *Can. x.*

(2) *Morinus de Sacr. Ordin. Part. III. Exerc. II. cap. 2. Mabill. Comment. praev. in Ord. Rom. §. 18.*

debeant; atque adeo ordinationes per *Saltum*, uti dicitur, vetitæ sint; nimirum cum quis uno, pluribusve inferioribus Ordinibus omissis, majore initiatur, sic Hypodiaconus, omisso Diaconatu, Presbyter ordinetur. Sed hujusmodi ordinum per *Saltum* collatio, licet ipso jure irrita non sit, tamen ex Synodo Rothomagensi coacta anno Domini MXXII sic ordinati depositionis poena afficiuntur. Verum jure Decretalium per *Saltum* ordinati, suppletis prius ordinibus omissis, ex Episcopi indulgentia in ordine suscepto ministrabunt, et ad majores ordines promoventur (1); modo in ordine per *Saltum* suscepto non ministraverint. Nam si ministraverint, unus Romanus Pontifex veniam indulget. (2)

IV. Sed et certis temporum intervallis, non vero simul majores ordines conferri oportet. Ergo intervalla, seu interstitia inter unum, et alium ordinem excurrere debent, quæ antiquitus varia pro varia Ecclesiarum disciplina fuere. Demum jure Tridentino inter ordines majores unius anni interstitia satis sunt, nisi Ecclesiæ utilitas, aut necessitas aliter exposcat. Minores vero ordines vel uno die conferri possunt. (3)

V. Ætatem quod spectat, olim inferioribus ordinibus nulla erat ætas constituta. Etenim in Africa, in Galliis, in Italia ordines minores etiam pueris ætate tenellis conferri consueverunt (4). Acolyto, vel Subdiacono annum ætatis trigesimum præscribit Siricius Papa: Synodus vero Neocæsareensis Presbyteratum anno trigesimo adfixit. At

(1) *Cap. unic. ex. de Cleric. per Saltum promoto.*
(2) *Conc. Trid. sess. XXIII. Ref. cap. 14.*
(3) *Sess. XXIII. Ref. cap. 2.*
(4) *Siricius P. Epist. 1. cap. 9. Conc. Carthag. III. can. IV.*

mediis sæculis has Pontificum, Canonumque sanctiones fuisse neglectas nemo non novit; donec sæculo XVI. suum orbem agente, a Concilio Tridentino statutum fuerit.

1.° Ut Clericalis Tonsura, minoresque ordines non conferantur, nisi iis, qui capaces sunt per ætatem certum aliquem statum eligendi.

2.° Ut nemo sive prima Tonsura initiatus, sive in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum ætatis annum beneficium possit obtinere.

3.° Ut nec Subdiaconatum ante vicesimum secundum; nec Diaconatum ante vicesimum tertium; nec Presbyteratum ante vicesimum quintum ætatis annum suscipere quis possit (1). Quem annorum numerum attigisse sufficit; nec explevisse necesse est: sed nec unius diei, aut horæ defectus ordinum suceptionem impedit.

MANTISSA.

In Regno Neapolitano juxta pacta inter Benedictum XIV. et Carolum Borbonium conventa anno MDCCXLI. nemo prima clericali Tonsura initiari potest, nisi decimum quartum ætatis annum attigerit (2).

VI. Clericorum addictio alicui Ecclesiæ, vel Monasterio Titulus nuncupatur: immo Ecclesiæ ipsæ Tituli dictæ sunt; eo quia signo vel Crucis, vel alio quopiam insigniri consueverint. Hinc *titulare*, *vel incardinare* idem est, ac Presbyte-

---

(1) *Conc. Trid. Sess. XXIII. Ref. cap. 4. 6. et 12.*
(2) *Concord. cap. IV. art. 3.*

rum, aut Diaconum alicui Ecclesiæ addicere. Olim nemo Ordinibus initiebatur, nisi prius alicui Ecclesiæ, sive titulo addiceretur; licet exempla non desint eorum, qui sine titulo ordinati sunt, quales Hieronymus, Paulinus, aliique. Verum cum hujusmodi ordinationum sine titulo exempla Ecclesiasticam disciplinam perderent, primum Synodus Chalcedonensis (1), dein Urbanus II., Synodus Lateranenis III., Innocentius III. (2), et demum Concilium Tridentinum (3) decrevere, ut Clerici nonnisi ad titulum beneficii, vel si Ecclesiæ utilitas, aut necessitas postulaverit, ad patrimonii, vel pensionis titulum ordinentur.

VII. Jam vero Synodus Chalcedonensis laudato canone VI. diserte jussit neminem *absolute* ordinari, nisi Ecclesiæ civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monasterio addicatur. Ergo inter titulos in ordinatione requisitos est etiam Monasterium, scilicet cum quis Presbyter Sacramenta ministraturus monasterio præficitur. Itaque Monasteriis inter titulos recensitis, tractu temporis Clericorum frequentia in Monasteriis viguit. Verum ex hodierna Ecclesiæ disciplina Monachi ad monasticæ professionis titulum ordinantur.

VIII. Quamvis jure divino unus Episcopus sacræ ordinationis minister sit, tamen ille semper in Ecclesia viguit mos, ut Episcopus nonnisi clericos suæ potestati obnoxios ordinibus initiare posset. Qua de re Canones Nicæni (4), et Sar-

---

(1) *Can. VI.*
(2) *Cap. 16. de Praebendis. et Dignitatibus.*
(3) *Sess. XXI. Ref. cap. 2.*
(4) *XVI.*

dicenses (1) sancivere, ne Episcopi clericos ab aliis Episcopis ordinatos sine eorum permissu, a quibus ordinati erant, ad superiores ordines promoverent. Verumenimvero laicos a quocumque Episcopo ordinari posse perspicua demonstrant illustrium virorum, Origenis scilicet, Augustini, Epiphanii, Hieronymi, Martini Turonensis, aliorumque exempla.

IX. Jure novo quatruplex emersit proprius ordinationis Episcopus, ratione scilicet originis, beneficii, domicilii, et familiaritatis. (2)

1.° Ratione beneficii (cujuscunque generis sit beneficium) potest quis ab eo Episcopo ordinari, in cujus Diœcesi beneficium obtinet. Igitur non laicus quislibet, cui Episcopus beneficium collaturus sit, sed tantummodo Clericus, qui beneficium in aliena Diœcesi obtinuit, ordinari potest (3). Ergo omnino necesse est, ut quis prima saltem Tonsura ab Episcopo originis, vel domicilii intietur, ut dein beneficii possessionem in aliena Diœcesi nactus ab ejusdem Episcopo ad ulteriores ordines promoveri queat.

2.° Ratione familiaritatis Concilium Tridentinum optime decrevit, ut Episcopus suum familiarem suæ potestati non obnoxium ordinare non possit, nisi is per triennium apud se non fuerit commoratus, atque eidem beneficium, omni fraude amota, non fuerit statim collatum, omni consuetudine etiam immemorabili in contrarium non obstante. (4)

---

(1) *XVIII.*
(2) *Cap. 1. et 3. de temporib. Ordin in 6.*
(3) *Trid. Sess. XXI. Ref. cap. 2. et Innoc. XII. Bulla* Speculatores.
(4) *Sess. XXIII Ref. cap. 9.*

3.° Ratione originis Innocentius XII. Bulla *Speculatores* constituit satis non esse, ut quis in aliqua Diœcesi natus sit, sed voluit, ut id non ex accidenti, scilicet occasione itineris, officii, legationis, sed ex vera, et naturali patris origine factum sit.

4.° Ratione domicilii. Episcopus domicilii censetur, in cujus Diœcesi ordinandus domum habet. Verum domicilii ratio non ex diuturna mora, sed ex animo, aliisque adjunctis est desumenda. Aliquando enim fit, ut vel brevis alicubi mora domicilium pariat: exemplo sit, qui matrimonio, vel rerum suarum translatione, vel muniis susceptis aliquo in loco suam domum constituit.

X. Episcopus ægritudine præpeditus suos subditos jam probatos ad alios Episcopos ordinandos potest dimittere. Porro hujusmodi dimissio fit per litteras, quæ et *Dimissoriae*, et *Commendatitiae* audiunt apud rerum Canonicarum tractatores. Verum commendatitiæ a dimissoriis in eo differunt, quod illæ ordinandi testimonium, hae vero utrumque complectuntur.

MANTISSA.

In Regno Neapolitano constitutione Gregorii XV. Dimissoriæ nonnisi ad certum Episcopum sint dirigendæ.

XI. Prioribus Ecclesiæ sæculis nulla ordinationi adfixa sunt tempora, sed prout opus erat quilibet ordinabatur. Hic mos etiam nunc temporis apud Græcos obtinet. At contra antiquitus in Ecclesia Romana receptum est, ut ordines mense Decembri conferrentur. Deinde Gelasius R. Pontifex in primis quinque tempora ordinationi præ-

stituisse videtur (1). hæc tempora ab Alexandro III. distinctius definita sunt., scilicet quatuor jejuniorum tempora, Sabbatum Sanctum ante Pascha, et Sabbatum ante Dominicam Passionis. (2)

XII. Profecto ad ordinationes habendas non solum statuta erant tempora, sed etiam horæ definitæ. Etenim antiquitus vespere Sabbatum sequente ordinatio inchoabatur, et ad diem Dominicæ mane protrahebatur, ut ordinatus vel consecrare, vel sacram Eucharistiam sumere posset (3). Verum ne jejunii continuatio ordinantes simul, et ordinandos defatigaret, ordinationes vesperis ipsius Sabbati adfixæ sunt. Denique labente tempore Episcoporum ordinationes ad tertiam cujuslibet diei Dominicæ horam, ordinationes vero Clericorum ad matutinas Sabbati horas translatæ sunt. Præterea minores ordines diebus Dominicis, et festis etiam conferri solent. Ut vero Presbyteri, Diaconi, atque Hypodiaconi extra stata tempora ordinentur, venia, quam unus Romanus Pontifex concedit, opus est.

---

(1) *Epist. IX. ad Episcopos. Lucaniae cap.* 2.

(2) *Cap. 3. de tempor. ordinat.*

(3) *Theodoretus Hist. Relig. cap. 13. et Epiphanius epist. ad Joan. Hierosolym.*

TITULUS XXIII.

De Canonicis, et Vicario Capitulari.

I. Christiani ab Ecclesiæ incunabulis communem vitam agebant: sed non multo post aucto fidelium numero ab ea vitæ ratione laici recesserunt, et soli Clerici eam deinceps coalescere satagerunt: qui quidem Canonici dicti sunt: eo quia in Canonem, hoc est in album Ecclesiæ scripti essent. Ea porro communis vitæ ratio tum in Oriente, tum in Occidente maxime floruit, postquam a Constantino M. Ecclesiæ pax reddita est. Illa enim aurea ætate una simul, et officia Clericorum, et instituta Monachorum mirabili ratione conjuncta videmus. Et quoniam vitam vivebant communem, omnium vestis una, domus una, mensa una, sed omnes serviebant Ecclesiæ. At mediis sæculis caritate frigescente, Ecclesiastica disciplina pessumdata, vitiisque ubique exultantibus, Canonici ipsi in illud diluvium ferme abrepti, a communi vivendi ratione recessernnt. Interim collapsam disciplinam reficiendam curarunt viri clarissimi, Ecclesiæ bono nati: et præsertim S. Petrus Damiani in Italia, Iuo Carnotensis in Galliis, Ecbertus Eboracensis in Anglia. Verum eo ex tempore duplicis generis Canonici exorti sunt,

regulares nempe, et sæculares: illi sub Episcopis, vel Abbatibus in Episcopiis, vel Monasteriis communem vitam, et votis adstrictam agunt: hi vero reditibus aucti seorsum vivunt, servantque Canonicum Institutum, quatenus patitur vita singularis. Hinc factum est, ut Canonici saeculares apud omnes ferme Cathedrales Ecclesias obtinuerint. Horum coetus *Capitula* dicta, reditusque Ecclesiastici, qui primum ipsis cum Episcopo communes erant, in duas partes tributi sunt, scilicet in mensam Episcopalem, et mensam Capitularem. Immo alicubi Mensa Capitularis tot in partes, quot sunt Canonici, divisa est.

II. Porro ex nova disciplina in Canonicis utpote Episcopi Senatum referentibus plura requiruntur.

1.° Ut Canonicus Hypodiaconatus ordine saltem initiatus sit: alias suffragium in conventibus Canonicalibus non habebit.

2.° Ut Ordo Sacer Canonicatui sit adnexus, aut saltem intra anni spatium Canonicus eodem ordine initietur; alias post annum (si ipsius culpa, aut negligentia illo ordine non inaugurabitur) tum jure ferendi suffragii, tum dimidia distributionum parte privabitur.

3.° Ut honestis moribus ornatus sit, et satis scientiæ habeat, neque sit duobus, et viginti annis minor: et si Canonicatus animarum curam habeat, tunc opus erit, ut vicesimum quintum ætatis annum attigerit.

4.° Ut orthodoxæ fidei publicam professionem intra duos menses coram Episcopo, vel ejus Vicario emittat; alioqui fructus non faciat suos, nec illi possessio suffragetur (1).

---

(1) *Conc. Trid. Sess. XXIV. Ref.*

III. Canonicorum munia a Tridentinis Patribus accipe his verbis (1): *Praeterea obvenientibus in iisdem Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Praebendas, aut Portiones non liceat, vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ad iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Praebendae, aut Residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem usus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia contra eos juxta Sacrorum Canonum constitutiones procedatur. Distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit* Consuetudinem; *quod S. Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis, et consuetudinibus. Omnes vero per se, et non per substitutos compellantur obire officia: et Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercendi adsistere, et inservire, atque in Choro ad psallendum instituto, hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare. Vestitu insuper decenti tam in Ecclesia, quam extra adsidue utantur.*

IV. Jam vero lapsu temporis dissociata capitis, et membrorum unitate, invaluit, ut Episcopus pleraque negotia, non advocato Capitulo, agere nequeat:

---

(1) *Sess. XXIV. Ref. cap. 12.*

1.° Quidem Synodum Diœcesanam cogere, Examinatores creare, judices eligere, et constitutiones edere (1)

2.° Bona Ecclesiae vendere, aut donare (2).

3.° Ecclesiam, vel Beneficia alteri Ecclesiae unire (3).

4.° Novas in Cathedrali Ecclesia dignitates erigere.

5.° De causa hæresεωn cognoscere

6.° Difficiliora quædam negotia expedire, in quibus Capituli consilium requirit, non vero consensum expectat Episcopus (4).

V. Porro nonnulla Capitulo *independenter* ab Episcopo competunt, uti statuta facere, quæ Canonicorum negotia respiciunt, in Canonicos immorigeros, aliosque clericos Capitulo subjectos poenis levioribus in modum conventionis, non causa jurisdictionis animadvertere, propriam arcam, et sigillum habere, mensæ Capitularis reditus administrare, aliaque similia.

VI. Potestas Capituli Cathedralis Ecclesiæ, sede Episcopali vacante, summa est. Olim enim vacans Ecclesia a Clero regebatur. Quare Romani Clerici qui mortuo Papa Fabiano, Ecclesiam administrabant, se præpositos dixerunt (5). Deinde institutis Episcopis Interventoribus, qui usque ad novi Epicopi electionem vacantes Ecclesias gubernabant, Cleri auctoritas oblanguit, donec abolitis

---

(1) *Trid. Sess. XXIV. Ref. cap. 18.*

(2) *Cap. 1. &. 9. de his, quae fiunt a Praelatis sine cons. Capituli.*

(3) *Clement.* si una *cap. 2. de reb. Eccl. non alien.*

(4) *Urbanus VIII. Bulla* cum sicut *an. 1624.*

(5) *Epist. 3. al: 8. ad Cler. Carthag. inter Cyprian.*

Interventoribus, iterum restituta est. Ergo Cathedralis Ecclesiæ Capitulum, vacante sede Episcopali, propriam, ac primigeniam jurisdictionem exercet: et hinc sede vacante, antiqua potius Presbyterii auctoritas reviviscit, quam aliquid eidem de novo accedit.

VII. Quoniam plures commissa negotia segnius administrant, Patres Tridentini voluerunt (1), ut Capitulum, sede vacante, aut unum, aut duos Œconomos eligat, qui mensam Episcopalem curant, et ad explicandam jurisdictionem infra octo dies ab Episcopi obitu sive *naturali*, sive *interpretrativo* Vicarium constituet, aut jam existentem confirmet. Si secus factum fuerit, electio Vicarii ad Metropolitanum devolvitur. Quod si vacans Ecclesia sit ipsa Metropolitana, ad antiquiorem Suffraganeum; si vero exemta ad viciniorem Episcopum; et si Suffraganea vacans orbetur Capitulo, tunc Vicarii electio ad Metropolitanum vacantis Ecclesiæ Capitulum spectabit (2). Vicario electo Capitulum adhuc remanet Ecclesiæ rector, tantumque jurisdictionis exercitio, quod in Vicarium transtulit, caret (3). Præterea Œconomus procurationis, et Vicarius regiminis Episcopo inde poscendi rationem reddunt, licet a Capitulo absoluti, ac liberati fuerint.

VIII. Porro non pauca sunt, quæ Capitulum, ejusve Vicarius non facit, vel quod non habet,

---

(1) *Sess. XXIV. Ref. cap. 16.*

(2) *Benedictus XIV. de Syn. Dioec. lib. II. cap. 9. n.° 16.*

(3) *Espenius Parte. I. titulo IX. cap. 4.*

vel quod Canones potestatem intra modum coercent. Et quidem.

1.° Non facit, quæ sunt ordinis Episcopalis; at non prohibetur eadem vicinioribus Episcopis mandare: neque ea, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, exercet; veluti est Indulgentiarum concessio (1): neque ea, quæ ex Pontificis delegatione Episcopo competunt.

2.° Capitulum nihil innovare potest, aut imminuere Episcopalium jurium, neque bona Ecclesiastica alienare, neque beneficia dividere, neque unire.

3.° Beneficia, quorum libera collatio ad Episcopum pertinet, conferre non potest. Moram enim pati potest beneficiorum collatio. Verumtamen ea Beneficia, quorum collatio ad Capitulum una cum Episcopo spectat, ubi in mensibus *Ordinarii* vacaverint, ob jus adcrescendi recte conferet (2).

4.° Ex Concilio Tridentino nequit concedere *Litteras dimissorias* ad ordines suscipiendos intra annum luctus, iis tantum exceptis, qui beneficio sunt arctati: post annum vero omnes ad ordines suscipiendos dimittit (3). Sicuti post annum Diœceseos Visitationem instituit, et Synodum Diœcesanam indicit (4).

5.° Ecclesiæ Parochiali vacanti cum congrua fructuum portione Œconomum præficere, donec Parochus eligatur: immo per publicum edictum

---

(1) *Fagnanus in cap.* illa *11. Extr.* ne sede vacante *n. 13.*

(2) *Cap. unic.* ne sede vacante *in 6.*

(3) *Sess. VII. Ref. cap. 10.*

(4) *Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. 11. cap. 9.*

Concursum instituere, atque ad præscriptum Concilii Tridentini magis idoneum eligere, litterasque *testimoniales* peracti Concursus ad Curiam Romanam pro Parochialis Ecclesiæ collatione transmittere (1).

6.° Novum erigendi Monasterium veniam, et consensum præstare (2).

7.° In levi Clerici percussione ab Excommunicatione Canonis absolvere (3).

8.° Hic non est silentio prætermittendum delegationem, qua Matrimonii impedimenta in foro externo per Datariam relaxantur, Episcopo, ejusve Vicario Generali factam sede vacante ad Capitulum non devolvi; sed hoc casu Episcopo viciniori, vel ejus Vicario committi. (4)

MANTISSA.

In Regno Neapolitano ex pactis inter Benedictum XIV. et Carolum Borbonium initis Capitulum, ejusve Vicarius infra annum a sede vacante cunctis Capituli suffragiis concedit litteras *Dimissorias* tantum ad primam Tonsuram laicis beneficio mox recipiendo coactis, et clericis ad beneficium actu certum ordinem requirens præsentatis: modo utrique a defuncto Episcopo non fuerint ab ordinatione rejecti: post annum vero non

---

(1) *S. Congr. apud Fagnanum in cap.* illa *11. Extr.* ne sede vacante *n. 17. et seqq.*

(2) *S. Congr. apud Fagnanum in cap.* non amplius *1. Extr. de Inst. num. 10.*

(3) *Fagn: in cap.* pervenit. *XVII. Extr. de senten. Excom.*

(4) *Espenius part. 1. tit. 23 cap. 3.*

dimittit, nisi veniam a Sacra Congregatione Concilii impetrarit (1).

TITULUS XXIV.

De dignitatibus, personatibus, et officiis.

I. Vocabula Dignitatis, Personatus, Officii aliquando promiscue usurpata, distincta sunt inter se. Dignitas enim est quaedam Ecclesiastica amplitudo, cui olim jurisdictio adnexa erat. Personatus est purus honos, seu potius jus est præeundi reliquis Canonicis in Choro, et processionibus. Denique Officium est simplex rerum Ecclesiasticarum administratio.

II. Inter Ecclesiasticas Dignitates, quæ in nova disciplina inanes, et ventosæ evaserunt, numerantur Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Primiceriatus, Cantoratus, Thesaurariatus. Verum Ecclesiæ Collegiatae Præpositum, vel Primicerium habent. Porro Dignitatum hujusmodi nec idem ordo, nec numerus est in omnibus Cathedralibus Ecclesiis. Nos pauca de singulis dabimus.

---

(1) *Concord. cap. 4. num. 9.*

III. Quem Graeci Πρωτοπρεσβυτερον, et Latini Archipresbyterum appellant, est, qui post Episcopum omnibus Diœcesis Ecclesiis praeest, quasi Presbyterorum Princeps. Porro Archipresbyter apud Græcos arbitrio Episcopi, apud Latinos antiquitate ordinationis eligebatur: et Episcopo absente, ejus vices fungebatur (1). Haec Archipresbyterorum dignitas, haec Archipresbyterorum munia, creatis Archipresbyteris ruralibus decurtata sunt. Tanta enim ipsorum dignitas cum ab Episcopis jure delegato proficisceretur, creatis Archipresbyteris ruralibus, paulatim caepit deficere. Archipresbyteris ruralibus ferme similes sunt hodierni Vicarii Foranei, quibus non modo clericorum, sed et laicorum cura ratione quadam demandata est. Hinc ipsis a sui districtus limitibus discedere non licet; quin et vicos suæ curae concreditos frequenter invisere, et quidquid corrigere per se ipsi non valent, notare, ac designare, et Episcopum de omnibus quam citissime certiorem facere debent. Quo fit, ut ipsis honorem, et obsequium a Clericis præstari vedeamus.

IV. Quemadmodum Archipresbyter universae Diœcesis Presbyteris, ita omnibus Diaconis praepositus erat Archidiaconns, quasi qui inter Diaconos principem locum tenet: et cum essent homines industrii, Episcopi per Archidiaconos omnia ferme negotia explicarunt: quo factum est ut cum Diaconi oculi Episcopi essent, Archidiaconus ολος οφθαλμος, totus oculus esset (2). Tractu temporis cum Episcopi totius fere Diœcesis

(1) *Cap. 1. 2. 3. de officio Archipresbyterorum.*
(2) *Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 29.*

sollicitudinem Archidiaconis mandare caeperint, Archidiaconi facti sunt veluti quidam Vicarii Generales; adeo ut eorum potestas, quae ipsis Episcopi delegatione competebat, creverit in ordinariam. Verum saeculo XII. et deinceps Episcopi Archidiaconorum insolentia, et avaritia commoti, novos ad suam jurisdictionem explicandam administros constituerunt, quos posterior aetas Vicarios, seu Officiales Generales appellavit. Unum ipsis nunc superest, ut Episcopo generalem ordinationem habenti ipse Clericos ordinandos sistat, et si eos indignos judicans Epicopo interroganti responderit, praesentes esse dignos, a peccato immunis non erit (1).

V. Vigente communi Clericorum vita praeter Abbates, aliosque Praelatos erant etiam Præpositi, et Decani; illi temporalia negotia, hi vero interiorem Canonicorum curam agebant. Verum dissoluta communi vita, Praepositis potentia, ac opulentia inflatis omnis jurisdictio ademta est. E contra nulla ferme est Ecclesia Cathedralis, quae Decanatum inter eminentiores dignitates non numerat.

VI. In titulis Decretalium Primicerius idem est ac Cantor. Et Primicerius quidem dicitur, quia primum in cera, hoc est catalogo gradum obtinet. Cantor vero, quia in cantoribus instituedis, et ad cantum in Choro ducendis ejus cura versatur. Hinc aliquando Præcentor appellatur. Et quoniam Choro præest, risus cohibet, silentium indicit. Hujusce potestatis ergo alicubi in festis sollemnioribus argenteo baculo, quem *Cantoralem* appellant, utitur.

---

(1) *Bened. XIV. de Syn. Dioec lib. I. cap. 8.*

VII. Ex Clericis communem vitam agentibus unus seligi caepit, qui pueros de bonis moribus, ac litteris erudiret. Hic secutis temporibus Scholasticus, et Scholarchus audivit; ejusque officium sensim in beneficium Ecclesiasticum abiit, et in quibusdam Ecclesiis ad Dignitatem evectum est. Scholastici erat curare, ut probi, et docti Praeceptores adoloscentulos in litteris informarent; item scholas frequenter invisere.

VIII. Qui sacra vasa, sacrasque supellectiles custodit, a Graecis Κειμηλιαρχη, et a Latinis Thesaurarius dictus est. Porro Thesaurarius jam inde ab Innocentii III. aetate inter Dignitates recensitus est. Verum ex quo tempore Dignitates evaserunt ventosae, officium Thesaurarii a Dignitate sejunctum est. Nam Thesaurario vasorum, supellectilium, aliorumque hujus generis cura mandatur. Sed quatenus dignitas tantum inter Canonicos eminet.

IX. Concilium Lateranense IV. Theologum, et Poenitentiarium constituit, jussitque, ut quaelibet Metropolitana Ecclesia Theologum haberet. Deinde Concilium Tridentinum firmato Lateranensi decreto edixit, ut non solum Metropolitanae, sed et Cathedrales, et insigniores Collegiatae Ecclesiae Theologum haberent, eique *Praebendam* primo vacaturam adjunxit. Demum Benedictus XIII. (1) voluit praebendam Theologalem per *Concursum* conferendam esse; simulque rationem in Concursu servandam praescripsit. Verum quibus diebus, qua hora, et super quo Sacrae Scripturae libro lectio Theologalis habenda sit,

(1) *Bulla* Pastoralis.

arbitrio Ordinarii relinquit Sacra Congregatio apud Garziam (1)

X. Poenitentiarium Theologo supparem idem Concilium Lateranense IV. in Metropolitanis, Cathedralibus, et Conventualibus Ecclesiis constitutum voluit. Qua de re Episcopi ex sacerdotibus quosdam seligere caeperunt, quibus quorumdam graviorum criminum absolutio addicta est. Synodus Tridentina Lateranam sanctionem firmavit, et Poenitentiario praebendam quam primum vacaturam adnectit: item præcepit, ut Poenitentiarius sit magister, vel doctor, vel licentiatus in jure Canonico, vel in Theologia; sitque quadraginta annos natus, nisi locorum necessitas, aut utilitas aliter postularit. Denique Benedictus XIII. Poenitentiariam per Concursum conferendam esse sancivit. Porro Poenitentiarius utpote universae Diœcesis Confessarius ordinarius, et generalis, licet a jure facultatem exicipiendi confessiones, et jurisdictionem a peccatis absolvendi habeat, tamen cordatiores Canonistae eidem delegandi aliis potestatem, vel ad unum reservatum denegant. Poenitentiarius aeque ac Theologus inter Canonicos, servato collationis, et possessionis ordine, sedent. Item Pœnitentiarius dum confessiones excipit, et Theologus dum sermonem Theologalem habet, Choro tamquam praesentes censentur.

---

(1) *De beneficiis part. III. cap. VII. num. 155.*

TITULUS XXV.

De VICARIO GENERALI.

I. Fracta tandem Archidiaconorum dominatione, emerserunt Officiales, seu Generales Vicarii, quos hortatu Patrum Concilii Lateranensis IV. Episcopi sibi adsciscere cæperunt, ut jurisdictionem, quam mandarent, pro lubito revocare possent. Et sane in Italia nullum inter Vicarium, et Officialem discrimen est; id quod alibi non obtinet. Nam in Gallia, aliisque ultra montes regionibus a Vicario diversus est Officialis. Officialis enim dicitur, qui in forensibus Episcopales partes implet. Vicarii vero potestas in iis versatur, quae sunt voluntariæ jurisdictionis.

II. In Vicarium Generalem quilibet Clericus adsumi potest, modo saltem prima tonsura sit initiatus, et in utroque, vel in jure Canonico lauream sit consecutus, nisi aliunde viri peritia constet. Porro arcentur.

1.° Laici.

2.° Mendicantes. (1)

3.° Clerici conjugati, bigami, et vigintiquinque annis minores.

---

(1) *Clement. 2. de Rescriptis.*

4.° Consanguinei Episcopi; cives urbis Episcopalis, vel Diœcesani, quod gratia, odio, aliove nomine haud raro suspecti sunt (1).

5.° Parochi, Canonici Pœnitentiarii, omnesque publici animarum curationi praefecti (2).

III. In constitutum Vicarium transit omnis jurisdictio sive spiritualis, sive temporalis, quae jure ordinario Episcopis competit, excepta beneficiorum collatione, quae vi generalis commissionis non transfertur; et facultate recipiendi resignationes; item potestate cogendae Synodi Diœcesanæ; Diœcesim visitandi; dimissorias dandi; Ecclesiasticas res alienandi; causas feudales cognoscendi; indulgentias concedendi; eaque, quæ sunt ordinis Episcopalis exercendi: item excipiuntur, quae jure speciali competunt Episcopo, et ex multorum sententia causarum Matrimonialium aeque, ac criminalium, nec non quarumlibet aliarum uni Episcopo delegatarum cognitio. Praeterea vetatur Canonicorum Capitulum indicere, eique praesidere, et suffragium ferre (3). Item non absolvit a casibus Episcopo reservatis; neque ab iis absolvendi facultatem impertitur (4). Denique in irregularitatibus ex occulto crimine obortis non dispensat (5).

IV. Porro Episcopus aliquando unum, aliquando plures sibi Vicarios constituit, prout vel plures, vel satis amplae sunt Dioeceses, vel Dioecesis sit Latinis simul, et Graecis subditis mixta.

---

(1) *Syn. Rom. an. 1725 tit. VIII. cap. 2. 4.*
(2) *Sac. Congr. Conc. pluribus decretis.*
(3) *Trid. Conc. sess. XXV. Ref. cap. 6.*
(4) *Cap. 11. de poenit: et remiss. in 6.*
(5) *Conc. Trid. sess. XXIV. Ref. cap. 6.*

Hinc Episcopus Latinus, qui apud Calabros Italograecis præest, adigitur horum causas per Graecum Vicarium, sed a Graecis sustendandum cognoscere; et in gradu appellationis Metropolita Latinus Graecum judicem constituere debet (1).

V. Jurisdictio Vicarii sive a jure sit, sive Episcopi delegatione, extincta Episcopi jurisdictione finitur: id quod fit Episcopi morte naturali, vel civili: item ipsius Episcopi voluntate, si eum Episcopus amoveat; denique finitur, si ipse Vicarius munus deponat.

VI. Qui in Sacramentorum administratione, loco Parochi absentis, vel occupati vel in perpetuum, vel ad tempus, approbante Episcopo, cum congrua Parochialium fructuum portione sustendandi constituti sunt, etiam Vicarii nuncupantur. Item Vicarii Apostolici, qui ab Urbe mittuntur, ut vice Episcopi vel absentis, vel gravioris criminis rei administrent, Vicarii quoque audiunt. Verumenimvero Vicarii sive Generalis, sive Apostolici jurisdictio, Episcopo excommunicato, non suspenditur.

---

(1) *Bened. XIV. Constit. LVII. §. 9. num. 21 tom. 1. Bullarii.*

TITULUS XXVI.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

I. Hactenus de Sacris Canonibus, de variis Ecclesiasticae Hierarchiae ministris, eorumque lectione, potestate, et officiis, nunc de Clericorum vita, et honestate sermonem quam brevissime instituere oportet. Quamobrem.

1.° Haud satis est Clericos sui ordinis munia perdiligenter obire, nisi talem vivant vitam, qualem Christiana plebs olim in sacris ministris illibatam cognovit, et judicavit. Clerici enim semper ante oculos versari debent, suam improbitatem facilius Christianorum animos occupare, quam pestem per aerem diffundi (1). Hinc merito Nicaena Synodus clericos συνεισακτον εχειν, hoc est *subintroductam habere* vetuit, tantumque matrem, vel sororem, vel amitam, vel quae suspicionem effugiunt, mulieres eisdem permittit (2).

2.° Clericis sacrum ministerium ea gravitate, ea integritate, morumque innocentia fungendum est, ut fideles religione horrificati in Deum Optimum Maximum pietate afficiantur.

3.° In colloquiis privatis, in sacris conventibus

---

(1) *Gregor. Nazianzen. oration. de Fuga.*
(2) *Can. III.*

doctrinam, prudentiam, fidelitatem maxime praeseferant.

4.° Fortes, et tenaces Christianae veritatis defensionem suscipiant. Ad rem Nazianzenus (1). *Tametsi alioqui pacati, ac moderati sint Antistites, hac tamen in re, lenes, et faciles esse non sustinent, cum per silentium, et quietem Dei causa proditur. Verum hic admodum bellaces sunt, atque in confligendo acres, et feroces.*

II. Integros vitae a vitiis, quae sunt criminum seminaria, liberos esse oportet. Itaque ergo.

1.° Clerici vetantur aleis ludere (2). Hac in causa aleae nomine veniunt ludi omnes, qui ab ancipiti fortunæ eventu pendent, quique flagitiorum causa sunt, et familias pessumdant.

2.° Clerici a crapula, et ebrietatibus abstineant. Quare Canones Apostolici Clericos ebrietatibus vacantes jubent deponi (3). Item Clerici nisi in itinere tabernas non intrent (4). Ludis scenicis, et spectaculis, quae Veneris sunt templa, clerici interesse prohibeantur (5).

3.° Injusta usurarum acceptio, saecularia negotia, quaestuosae mercaturae omnino a Clericis cane pejus, at angue fugienda sint (6).

4.° Procuratorem agere ad laicum tribunal, exceptis causis suis, consanguineorum, aut Ecclesiae, et miserorum hominum Clericis est interdictum (7).

---

(1) *Orat. XXI.*
(2) *Can. Apostol. XLI.*
(3) *Can. XLI.*
(4) *Can. II. et IV.*
(5) *L. 34. C. de Episc. audientia.*
(6) *Conc. Arelat. I. can. XIV.*
(7) *Pragmat. 2. de postulando.*

III. Jam vero Chrysostomus ex pluribus, gravibusque Clericorum ministeriis probat eosdem debere Sacram Scripturam nocturna versare manu, versare diurna. Ex quo factum est, ut sanctissimi, clarissimique viri mensam Sacrarum Scripturarum lectione condirent. Praeterea post Sacras Scripturas a Clericis tum in Conciliorum canonibus addiscendis, tum in antiquorum Patrum operibus pervolutandis multum temporis, et operae impendendum est. Vulgare est illud Caelestini Papae (1). *Nulli Sacerdotum liceat sacros canones ignorare.* Hinc S. Hieronymus eo nomine Nepotianum effert laudibus, quod assidua Ecclesiasticorum auctorum lectione tantum profecerit, ut quavis occasione illorum verba recitare potuerit: *illud*, inquiens, *Tertulliani; istud Cypriani, ac Lactantii; illud Hilarii est: Sic Minucius Felix; ita Victorinus; in hunc modum est locutus Arnobius.* Demum etsi Clericis pro necessitate, Haereticorum, et pro utilitate, etiam Gentilium lectio permissa est, tamen medicinae, uti medio aevo a Monachis factitatum est, et juri civili, aliisque profanis scientiis sedulam operam dare penitus damnandum est. Dignus est, qui de hoc argumento legatur S. Hieronymus epistola ad Magnum, Romanum Oratorem.

IV. Primis quinque Ecclesiæ sæculis clerici æque ac laici receptis vel apud Judaeos, vel apud Gentiles vestibus utebantur, tantumque in vestibus modestiam referebant. Ad rem S. Hieronymus (2). *Vestes pullas aeque devita ac candidas, ornatus et sordes pari modo fugiendae sunt: quia*

---

(1) *Epist. III. cap. 1.*
(2) *Epist. 2. ad Nepotianum.*

alterum delicias, *alterum gloriam redolet.* Longobardis, aliisque barbaris Occidentales Romani orbis provincias invadentibus Clerici, cum novo, ac curto vestium genere more barbarorum laici uti cæpissent, antiquum vestiendi morem retinuerunt (1); id quod jam apud Graecos sæculo VII. obtinebat. Verum sæculo XIV. uti observat Thomassinus, niger color, vel ad nigrum accedens factus est Clericorum vestitus. Ceterum Concilium Tridentinum (2) etsi clericis non indixerit, nisi vestium modestiam, tamen quot dein habitae sunt Synodi, Tridentinam sanctionem interpretantes, vestem oblongam, seu talarem, et nigrum colorem praescribunt.

V. Clericos ab Ecclesiae orsis modestum gessisse capellitium auctor est S. Hieronymus (3). Sed lapsu temporis modesta illa, brevisque Clericorum coma abiit in tonsuram, quam omnium primi in Ecclesiam Monachi invexisse dicuntur. Monachi enim veteres ut hominibus despicabiles, ac ludibrio essent, inæqualiter capillos ad cutem usque tondebant (4). Tractu temporis Clericorum tonsura ita se habebat, ut detonso superius toto capite inferius tota circuli corona relinqueretur. Scriptores vero VI. et VII. sæculi caput superius tonsum, non rasum memorant. Saeculo VIII. Clericorum capiti novacula accesserat, et caput desuper in modum spheræ radebatur. Igitur ex hoc tempore Clerici totum caput superius rasisse videntur, donec invaluit, ut cuique ordini ton-

---

(1) *Thomass: de N. et V. Discipl. par. 1. lib. 2. cap. 43.*

(2) *Sess.* XXIV. *Ref. cap: 12.*

(3) *Lib.* XIII. *in Ezechiel. cap. 44.*

(4) *S. Paulinus epist.* VII. *et Salvianus lib* VIII. *de gubernatione Dei,*

sura responderet (1). Qua de re habitus oblongus, et tonsura ita Clericorum insignia facta sunt, ut jure Tridentino fori privilegio Clerici priventur, qui nec suis Ecclesiis servitium impendant, nec habitum talarem, et tonsuram deferant (2).

TITULUS XXVII.

De clericorum caelibatu.

I. Sacerdotibus Christianis quam maxime convenire Caelibatum, vel saltem continentiam suadet purissima hostia, quam suis quotidie manibus offerunt, ejusdem participes fiunt, aliisque participandam tradunt. Ad rem Origenes (3). *Videtur mihi, quod illius solius est offerre Sacrificium indesinens, qui indesinenti, et perpetuae se devoverit castitati.* Hanc caelestem virtutem Christus, Christiani Sacerdotii auctor e coelo in terram intulit: Christi Mater inaudito prodigio sine originali labe concepta Virgo extitit purissima: Apostoli vero ab ipsomet Christo electi aut virginitatem, aut perpetuae castimoniae professionem Sacerdotio conjunxerunt. Videbant enim sanctissimi viri Sacerdotalis ordinationis σφραγιδι

(1) *Cap. 15. ex. de vita, et honest. Cleric.*
(2) *Sess. XXIII. Ref. cap. 6.*
(3) *Homil. XXIII. in Numer.*

characteri potiori jure, quam gradui Apostolatus celtissimo puritatis candorem convenire. Quamobrem ab primis Ecclesiae incunabulis Clerici, licet nulla lege adacti, continentiam Sacerdotio conjunctam voluere, semperque post susceptos ordines a contrahendi Matrimonii potestate alios minime idoneos judicarunt. Igitur quam insane maleferiati homines in hanc antiquissimam, sapientissimamque consuetudinem pietatis specie sint debaccati, nos exiplicandum aggredimur, simulque pro nostri instituti ratione breviter, et concinne exponemus, quid Graeca Ecclèsia, quidve Latina vel senserit, vel docuerit, vel sanciverit.

II. Jam vero Orientalis Ecclesia Apostolorum vestigiis insistens Episcopos, Presbyteros, Diaconos ubique habuit perpetuo continentes. Hanc autem disciplinam ante Nicaenam Synodum jam receptam testatur Paphnuntius Episcopus, eamque in eadem Synodo της εκκλεσιας αρκαιαν παραδοσιν, idest veterem Ecclesiae consuetudinem appellat. Et sane in Nicaeno Concilio acriter disputatum est, utrum continentiam, quam majores clerici antiquis moribus profitebantur, novo Canone sanciendа esset. Patres etsi majoribus Clericis continentiae legem non imposuerint, nihil tamen de antiquis moribus mutatum voluere. Quare S. Hieronymus non multo post Synodum Nicaenam contra Vigilantium Clericos tum iu Oriente sic proric dicto, tum in universo Ægypto caelibes vixisse asserit. *Quid facient Orientis Ecclesiae? quid Ægypti!..... quae aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt.* Et Epiphanius (1)

(1) *Exposit. fidei Cathol. num.* 21.

affirmat *Sacerdotium ex Virginum, et Monachorum ordine constare; aut Sacerdotes ex iis laicis creari, qui a suis uxoribus continent, aut secundum unas nuptias in Viduitate versentur* Patet itaque Episcopos non paucos e Synodo Nicæna ad suas Ecclesias redeuntes Clericis sibi subjectis continentiam a Concilio non imperatam imperasse: id quod per Thessalonicam, Macedoniam, Acajam, Thessatiam, aliasque Graeciae provincias viguisse testis est Socrates (1). Ergo si nonnullas peculiares Ecclesias excipias, quae tantum Presbyteris, et Diaconis permiserunt, ut uxoribus ante ordinationem ductis uti possent, non vero ut post ordines susceptos uxores ducerent, paret in Ecclesia Orientali Cælibatum, aut continentiam nulla lege, nullove canone decretam antiquo more fere ubique servatam fuisse. Hæc res non diu in Oriente processit feliciter. Clerici enim saeculo VII. ab primævæ disciplinæ candore deficere cæperunt: et Patres de pristina puritate reducenda desperantes tandem in Conventu Trullano corruptelam hac ratione temperarunt: scilicet Presbyteris, et Diaconis, quos uxores ante ordinationem duxerant, fecerunt potestatem utendi: et ad Episcopatum eos tantummodo evehi voluerunt, qui aut cælibes essent, aut si mariti forent, uxoribus non cohærerent. Hic mos apud Græcos invalescens ad præsens usque tempus perdurat. Præterea in eadem Trullana Synodo cautum est, ut Clerici qua superiores, qua inferiores quo tempore sacra contrectare deberent, a re uxoria abstinerent.

(1) *Lib. V. cap. 22.*

III. Hactenus de Græca Ecclesia, nunc de Latina pauca dabimus. Et quidem prioribus sæculis res de cælibatu eo modo, quo in Oriente, se habuit. Dein a sæculo IV. lex continentiæ pluribus in provinciis promiscue omnibus clericis imponi cæpit, ut ex canonibus Illiberitanis constat (1). Eodem saeculo ad finem vergente Siricius Papa edixit, ut Presbyteri, et Diaconi uxoribus antea ductis continerent. Idem haud multo post urserunt Innocentius I. (2), Leo Magnus (3), Concilia complura in Africa, in Hispaniis, et in Galliis celebrata (4). Saeculo IX. et X. Barbarorum irruptio in Occidentis imperii provincias, Ecclesiasticae disciplinae remissio, Synodorum infrequentia, Ecclesiarum reditus in stipendia militibus tributi, litterarum ignorantia primo Clericorum mores desidentes fecerunt: dein mores magis, magisque lapsi sunt, tum ire praecipites caeperunt, donec ad ea tempora, quibus nec vitia, nec remedia pati poterant, perventum est; hinc Clerici per vetitum nefas ubique ruerunt. Tandem saeculo XI. exeunte Christus tanquam e somno excitatus tempestati, qua Cælibatus novis semper fluctibus jactabatur, imperat, ignorantiae tenebras expellit, et dies per Occidentis Ecclesias ire laetiores visi sunt. Etenim partim gravissimis depositionis, aut excommunicationis in incontinentes clericos poenis, partim frequenti Synodorum ce-

---

(1) *Can. XXXIII.*
(2) *Epist. ad Victricium Rothomag.*
(3) *Epist VIII. ad Anast. Thessalonic:*
(4) *Carthag. II. III. V. Tolet. I. Taurin: Turon. Arausic. aliaq. apud Thomass. de N. et A. Eccl. discipl. part. I. lib. 2. c. 61.*

lebratione, Clerus aliquando resipiscens novum ingenium, pristinosque mores induere visus est. Qua de re lex continentiae primum clericis omnibus sive majoribus, sive minoribus iterum indicta est (1). Sed res momentosa accuratius pensata jussum est, ut uni maiores clerici, atque adeo Subdiaconi continentiam profiterentur. Hanc igitur sanctissimam legem magis, magisque firmarunt Innocentius III. (2), Honorius III. (3), Bonifacius VIII., complura Concilia, et demum Tridentinum (4). Quinimmo jure novissimo uxor ubi marito dat veniam, aut sacros ordines suscipiendi, aut solemnia vota nuncupandi, ipsa coram Episcopo et perpetuam continentiam vovere, et intra Monasterii septa se recipere debet.

---

(1) *Conc. Ticinen. an. 1020. Bituricen. 1031. Tolosan: 1056 aliisq. apud Thomass: part. 1. lib. 11. cap. 65.*
(2) *Cap. 7. et 8. de clericis conjugatis.*
(3) *Cap. 9. de cler. conjugatis.*
(4) *Sess. XXIII. Ref. cap. 13. et sess. XXIV. can. 9.*

TITULUS XXVIII.

De Ascetis, Monachis, et Regularibus.

§. I. Qui apud Christianos Ascetae?
II. Monasticae vitae Origo?
III. Vitae Monasticae propagatio in Occidentem?
IV. Quae Monasticae vitae forma?
V. Monachi manibus suis operabantur?
VI. Nova forma vitae Monasticae?
VII. Ordines Mendicantes qui, et quot sunt?
VIII. Ordines Militares qui, et quando instituti?
IX. Probatio vitae Monasticae praemittenda?
X. Novitii de rebus suis qua ratione disponere possunt?
XI. Professio Monastica quid? ejus species?
XII. Ætas ad professionem necessaria?
XIII. Consensus ad professionem necessarius?
XIV. Vota Monastica?
XV. De Sanctimonialibus?
XVI. Duplicis generis Sanctimoniales?
XVII. De Abbatissis, et Priorissis?

I. Jam superest, ut de Ascetis, Monachis, et Regularibus agamus. Et sane primis Ecclesiae saeculis crebra occurrit Ascetarum mentio, qui certo Monachi non erant. Ascetae enim vocantur Christiani illi, qui durius quoddam vitæ genus profitebantur. Hanc vocem a Philosophis mutuati erant, qui virtutis exercitationem ασκησιν vocabant. Hinc apud Christianos veteres, qui vitae suae rationem ad virtutis regulam exactam excolunt, nuncupantur Ascetae. Monachorum vero, ac Regularium nomen, et institutio serius in Ecclesiam invectum est. Nos nonnulla de Monachis, et nonnulla de Regularibus delibabimus.

II. Monachorum nomine in veteri disciplina veniunt, qui a civitatibus separati, vel soli, vel in commune, et sub Praeposito vitam Asceticam, et poenitentem agebant; unde qui in privatis cellu-

lis vivebant, *Solitarii*, *Anachoretae*; qui vero sub Abbate, *Coenobitae*, *Monachi* audiverunt. Et hi quidem medio tertio saeculo, saeviente Deciana persecutione exorti sunt. Porro primus apud Christianos vitae solitariae auctor est Paulus, illustrator Antonius (1); sed Coenobia, et communem Monachorum vitam, Imperatore Constantino Magno, instituit Pachomius in Thebaide. Saeculo IV. exeunte Basilius M. ante omnes fuit, qui Monasticum institutum triplici castitatis, paupertatis, et obedientiae voto auctum perfecit, consumavit, absolvit.

III. Jam vero Monasticum institutum ex Oriente in Occidentem remeavit opera S. Athanasii, qui Arianorum astum declinans Romam venit, ibique vitam Antonii adhuc viventis a se conscriptam edidit: hinc brevi varia emerserunt Virginum monasteria, et innumerabilis Monacorum multitudo; et teste Cassiano, tot ferme erant regulae, quot monasteria (2): donec exeunte saeculo VI. S. Benedictus regulam tradidit, quae per universum Occidentem propagata est; quæque tractu temporis in varias abiit Congregationes.

IV. Porro Monachi perpetuam regulae observantiam solemnibus emissis votis profitentur sub Praepositis, qui aliquando *Coenobiarchae*, aliquando *Archimandritae*, et plerumque *Abbates* dicti sunt. Et sane ad Praepositos monasteriorum administratio, disciplinae directio, poenarum tam corporalium, quam spiritualium inflictio spectabat.

V. Monachi ex veteribus institutis nullos re-

---

(1) *Hieron: epist. XXII. ad Eustoch. cap. 16.*
(2) *Lib. II. de Instit. monach. cap. 2.*

ditus possidebant, omnesque suis manibus operabantur: quo labore et victum sibi parabant, et in solitudinibus positis a Satanæ incursibus obsistebant. Hacc vero sanctissima vitae ratio non diu stetit, et statim atque Monachi annuos reditus, fundosque adquirere cæperunt, Monachorum disciplina cecidit. Verum saeculo XI. et sequentibus exortis Cluniacensibus, Camaldulensibus, Carthusianis, Cisterciensibus, Monachorum disciplina iterum se erigere visa est; ita ut Monachorum historia continua est virtutis, et corruptionis alternatio.

VI. Ad undecimum usque sæculum Monastica vita toties lapsa, totiesque restituta naturam suam semper retinuit, nimirum a saeculi turbis secessionem. Hinc plures Clerici severiorem, uti dictitabatur, S. Augustini regulam amplexati sunt, iisque ab Alexandro II. locus tributus est in Basilica Lateranensi. En Canonici Regulares Lateranenses. Hic in Occidente est secundus Ordo Monachorum.

VII. Post saeculum XII. novum in Ecclesia apparuit Religiosorum genus, Mendicantes nuncupati, qui mendicato pane vivunt, et clericis in adjutorium dati Monastica instituta profitentur, quatenus iis demandatae Hierarchiæ functiones patiuntur. Porro sunt Mendicantes vel ex regula, vel ex constitutionibus postmodum regulae adjectis, quorum illi nec in commune reditus, et fundos habere possunt; isti vero reditus non possident propter suorum ordinum Constitutiones, a quibus regulae redituum possessionem in commune permittenti derogatum est (1). Hinc fac-

(1) *Espen. part. 1. tit. XXIX. cap. 9.*

tum est, ut qui in his Ordinibus profitentur, ad legitimas admittantur hereditates, easque adquirant monasterio. Celebriores Mendicantes sunt *Fratres Minores*, *Praedicatores*, *Carmelitae*, *et Augustiniani.* Mendicantibus plures alii accsserunt, quales *Minimi S. Francisci de Paula*, aliique, quibus Mendicantium privilegia concessa sunt. Séd temporis lapsu Mendicantium disciplina delapsa reparatores novos ordines habuit; quales *Minores Observantiae, Discalceati Augustiniani, Discalceati Carmelitae, Fratres Capuccini*, aliique. Praeterea saeculo XVII., et deinceps exorti sunt clerici Regulares, qui votis, certisque regulis addicti communem vitam agunt. Demum Congregationes Presbyterorum saecularium vel nulla emittunt vota, vel tantum simplicia vota nuncupant.

VIII. Religiosi Milites tribus votis non secus ac reliqui Regulares adstricti, fidem, et religionem armis contra infideles propugnare profitentur. Initio tres Ordines fuerunt, *Templarii* nempe, *Hospitalarii*, *et Teutonici.* Hi omnes tempore Sacrarum in Terram Sanctam expeditionum instituti sunt. Templarii quidem ita dicti sunt, quod prope templum Domini suas aedes haberent, et peregrinos in itinere tuerentur. At postea evasit militaris ob terrae sanctae, et religionis defensionem. Hic ordo a Clemente V. agente Philippo Pulchro Galliarum Rege deletus est. Hospitalarii initio in Nosocomio S. Joannis Hierosolymis fundato infirmis ministrabant. Sed postea quia res Christiana in Palestinae locis ope indigeret, arma induit, et equestris factus est. Hi Hierosolymis Cyprum, Cypro Rodum, inde beneficio Caroli V. in Melitam insulam concesserunt, et equites Melitenses appellati sunt. Teutonici initio in

Hospitali ad solos Teutonicos excipiendos Hierosolymis erecto deserviebant: at inde in Ptolemaidis obsidione, ut suppetias Teutonicis militibus ferrent, militiam quoque susceperunt. Teutonici non multo post in patriam reversi, tantum nobiles Germanos in suam societatem admittunt. Hic ordo adversas vices non secus ac universa Europa, extremis hisce temporibus, expertus, omnino extinctus est. Horum ordinum Militarium exemplo alii deinceps, et praesertim nostra aetate ordines Militares ad satietatem usque instituti sunt.

IX. Jam vero ex antiquis Monachorum institutis Probatio, quam *Novitiatum* dicunt, vitae monasticae præmittenda est; eaque definiri potest. *Examen quo voluntas ejus, qui converti desiderat, exploratur, an serio velit, et possit vitam monasticam profiteri.* Porro schola probationis non unius horae, aut diei negotium est. Monachi Orientales, et praesertim Ægyptii tres annos probationi statuerunt (1). In Occidente ex regula Benedictina unius anni spatio probatio inclusa est. Hanc disciplinam probarunt Patres Tridentini, sed integra reliquerunt aliorum ordinum statuta, quae longius tempus requirunt (2). Currit vero annus iste de momento in momentum, et debet esse continuus, nec ei potest renunciari.

X. Iis, qui monasticam vitam profitentur, mos fuit ante probationem de rebus suis disponere, ut ita nudi Christum sequerentur. Verum nihil magis monasticae vitæ tironibus no-

(1) *Sozomenus lib. III. cap. 33.*
(2) *Sess. XXV. de Regul. cap. 15.*

cuit, quam praeceps rerum suarum irrevocabilis facta largitio. Quare Patres Tridentini sapienter statuerunt, ut nulla obligatio, aut renunciatio ante professionem facta etiam cum jurejurando, vel ad pias causas valeat, nisi intra duos menses proximos ante professionem cum facultate Episcopi, aut ejus Vicarii fiat, et jure facta tantum post professionem suum habeat effectum (1). Hac ratione Novitiorum libertati plane provisum est.

XI. Probationis tempus jam exactum sequitur Professio, quae definiri potest: *Certae, probataeque religionis promissio aperte, adhibitisque sollemnibus, vel signis ipsis declarata.* Ex hoc colligitur monasticam professionem duplicem esse, sollemnem scilicet, et tacitam, prout consuetis sollemnibus, vel tacitis signis editur. Sane monasticae vestis per annum gestatio, quae jure Decretalium pro tacita professione censetur, plerisque in locis amplius non recipitur; et Monachi, et Regulares una sollemni professione creantur. Itaque ergo Novitius stata hora professionem edit palam in Ecclesia, et viva vace formulam voti nuncupat, adhibitis aliis sollemnitatibus secundum receptos Ordinum ritus.

XII. Legitima ad professionem edendam aetas antiquitus erat XIV. annorum in maribus, et XII. in fœminis (2); ubi vero strictior erat regula, aetas XVIII. annorum (3). Sed Concilio Tridentino placuit in quacumque religione sive virorum, sive mulierum professionem ante XVI. annum

---

(1) *Sess. XXV de Regul. cap. 16.*
(2) *Cap. 8. et 2. de Regularibus.*
(3) *Clement. 3. de Regularibus.*

expletum nuncupatam nullam esse, nullamque inducere obligationem. Hoc decreto Ordinum Constitutionibus, quae majorem aetatem requirunt, derogatum non est. (1)

Mantissa.

In Regno Neapolitano Professioni tam marium, quam foeminarum XXI. annus expletus adfixus est.

XIII. Profecto ad durum, et perpetuum vitae Monasticae genus necessarius est ejus, qui convertitur, consensus. Hinc vi, metuque edita professio, nulla est; modo metus, et coactio sint non vani hominis, sed constantis, puta si mors, aut gravis corporis cruciatus inferatur. Itaque Regulares professionem suam impungabunt vitio aetatis, probationis, vel vi, metuque extortam, et quidem intra quinquennium; nec interim possunt habitum dimittere; alias ad monasterium redire coguntur, et poenis Apostatarum coercentur (2). Exacto quinquennio ab Apostolica Sede solent, causa cognita in integrum restitui, quo possint professionem impugnare (3). Sed Moniales in Italia etiam intra quinquennium contra professionem venre prohibentur.

XIV. Vita monastica semel suscepta etiam ex sollemni voto Monachos, et Regulares ad obedientiam, paupertatem, et castitatem adstringit: quae tres virtutes integram ferme continent vitæ monasticæ naturam. Voti enim religio vitæ mo-

---

(1) *Sess. XXV. de Regular. cap. 15.*
(2) *Trid. Sess. XXV de Regular. cap. 19.*
(3) *Cardinal. de Luca discur. XLI de Regular.*

nasticæ addita est, ut illa fortius obligaret, et exercitia virtutum Deo essent acceptiora. Verumenimvero non desunt Religiosi Ordines, qui præter hæc tria emittunt peculiaria vota; quales Religiosi Sanctissimæ Trinitatis, et Ordines Militares, aliique.

XV. Quemadmodum castissimus Ecclesiæ ager ab suis orsis Ascetis, Anachoretis, Monachis floruit, ita tot castarum Virginum odorem efflavit, ut ipsæ Imperatoriæ aulæ Virginum Asceteria evaserint. Earum porro numerus innumerus erat. Rufinus enim, qui IV. Ecclesiae saeculo vixit, refert in una Urbe Oxyrinchi Virginum Christo Deo desponsarum viginti millia fuisse, ibique plura Monasteria, quam domos extitisse (1). Iisdem regulas præscripserunt Augustinus, Cæsarius Arelatensis, Benedictus, Franciscus, aliique.

XVI. Sanctimonialium Monasteria alia fuerunt, in quibus virgines perpetuo inclusæ Christo famulantur: alia vero, e quibus egredi fas erat. Bonifacius VIII. constitutionem edidit, qua Moniales professæ perpetua teneantur custodia (2). Quod Bonifacii constitutio non obtinuit, feliciter cessit Concilio Tridentino, a quo cautum est, ut Monialibus ne tantisper quidem e monasterii septis egredi liceat, nisi ex Episcopi venia, cognita causa; vel ea necessitate, puta incendio, bello, aliisque similibus, quæ legum potestatem superat. Et quoniam Virginum pudicitia, sexus imbecillitas, insidiarum pericula præsentem custodiam poscunt, ideo Monialium regimen totum quantum est, permittitur Episco-

---

(1) *De vitis Patrum lib. II. cap. 8.*
(2) *Cap. unic. de statu Monach: in 6.*

pis vel ut Ordinariis, vel ut Delegatis Sedis Apostolicæ (1), si Monasteria sint exemta, vel S. Sedi ἀμέσως subjecta. Si vero a Deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur, sub eorum cura, et custodia reliquuntur.

XVII. Sicut Monasteria virorum regunt Abbates, seu Priores, ita et Virginum Monasteria duces habent Abbatissas, vel Priorissas. Harum porro officium est Monialibus necessaria suppeditare, et corrigere delinquentes (2). Verum Abbatissis nullum jus est monastrias, vel canonicas, clericosve Monasterio subjectos excommunicandi, eosve, easve suspendendi. Quæ vero in Abbatissa eligenda requirantur, accipe.

1.° Aetas XL. annorum.

2.° Octennium saltem professionis. Quod si hisce dotibus prædita non reperiatur, ex his quæ annum tricesimum excesserint, et quinque saltem annis post professionem recte vixerint, eligi potest, Episcopo, vel alio Superiore annuente.

3.° Episcopi, ejusque Vicarii Generalis præsentia, qui suffragia colliget.

4.° Interdictum Superiori Regulari est, ne suum cum Monialium suffragiis ferat.

5.° In Italia Abbatissæ electio est ad triennium, quo elapso ad aliam electionem veniendum est.

---

(1) *Sess. XXV. de Regular: cap. 5. 9. 10.*

(2) *Conc. Aquisgran. cap: 13. et Cabilon: 11. can: 54.*

TITULUS XXIX.

De Clericorum Privilegiis.

I. Jam vero inter præcipua Clericorum decora numerantur privilegia, quæ illos, Ecclesiasve tum a tributis, et vectigalibus, tum denique a judiciis sæcularibus immunes fecerunt. De Clericorum immunitate a sæcularibus judiciis nos libro III. De immunitate locali, seu de Ecclesiarum asylo libro II. Tit. XIV. Nunc tantum realem, et personalem immunitatem explanare aggredimur. Itaque ergo Immunitas realis ea dicitur, qua bona Ecclesiarum, aut Clericorum a tributis, vectigalibus, aliisque oneribus laicalibus eximuntur. *Semel enim Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum* (1). Immunitas vero personalis est, qua Clerici ab oneribus, quæ corpore fiunt, liberantur. Verum antequam de utraque immunitate loquamur, operæ pretium me facturum existimo, si prius exponam, quid tributum, quid vectigal, quamque olim varia tributorum genera: quæ honorifica; et quæ sordida munera; a quibus Clerici fuerint immunes, a quibus vero non.

---

(1) *Cap. 15. de R. I. in 6.*

II. Et sane 1.° Tributum speciatim acceptum, est pecunia, quæ civibus ad Reipublicæ onera sustinenda imperatur, ita dictum, quia ubi primum Romæ impositum est, tributim, seu per tribus a singulis exigebatur: idque duplicis generis erat; alterum, quod capitibus liberis, sive ratione habitationis, sive artificii; alterum vero, quod fundis imponebatur; et hoc tributi genus *census*, aut *capitatio terrena*, aut *inlatio canonica* audivit, ut ab alia tributi specie, quæ *humana* dicitur, distingueretur: nimirum per eam quisque suam ætatem indicabat, ut inde constaret, num tributo onerandus esset.

2.° Vectigal erat pecunia, quæ portorii, aut salis aut vicesimæ nomine imposita exigebatur. Porro utraque vel ordinaria erant, vel extraordinaria: illa jure ordinario pendebantur; et dici solebant *Canones*, et *Indictiones*: hæc vero pro variis, et gravioribus Reipublicæ necessitatibus imponebantur, et *Superindicta* audierunt.

3.° Alterum tributi genus dicitur *praebitio militum tironum, et equorum canonicorum*, quo milites, et novi equi militares Imperatori praestantur. Quod si militum, aut equorum loco pecunia penderetur, tributum dicebatur *aurum tironicum*; *et aurum stratioticum*.

4.° *Denarismus unciae, sive descriptio lucrativorum* est tributum, quo prædia, quæ quis ex curialibus alteri cuidam relinqueret, onerabatur.

5.° Munera sordida tributis affinia erant pollinis conficiendi cura, panis excoctio, viarum, aut pontium constructiones. His adde *angarias*, et *parangarias*: quæ erant jumentorum, aut plaustrorum præstationes ad annonam militarem, aliasque fiscales species transvehendas. Angariæ qui-

dem, si transvectiones via publica, et ordinaria; parangariæ vero, si extra viam publicam fierent (1). Verum in his sordidis muneribus ipsum munus personis impositum a pecuniæ præstatione, quæ ratione muneris præstabatur, distinguere oportet.

6.° Munera honorifica, quæ et *Municipalia*, et *Curialia* dici consueverunt, erant publicarum pecuniarum Civitatis administratio; annonarum exactio; mansionum, pagorum, et horreorum Reipublicæ gestio: susceptores suo periculo nominare, aliaque similia.

7.° *Metatum* denique est Magistratibus, militibus, atque Imperatoris aulæ stipatoribus hospitia, et alimenta præbere, quotiescumque ii officii sui causa per provincias iter faciebant.

8.° Deinde alia sunt bona, quæ publicum, ac commune Ecclesiæ patrimonium: alia vero, quæ privatum Clericorum patrimonium constituunt, quæque aliquo civili nomine veniunt, scilicet hereditatis, emtionis, donationis.

III. Jam vero 1.° cum bona Ecclesiarum prioribus tribus sæculis essent admodum tenuia, ante omnes Constantinus Magnus lege lata, ea ab omni tributo immunia voluit (2). Sed cum temporis lapsu hujusmodi Ecclesiarum bona excrevissent, ab eo tributi genere, quod *census*, *capitatio terrena*, *et inlatio canonica* audiebat, non fuerunt exemta. Id quod tum ex diversis Principum Constitutionibus facile colligitur (3); tum ex S. Ambrosio, qui Auxentium Arianum sic alloqui-

(1) *Gothofredus in L. XV. C. Theod: de extraord: seu sordidis muneribus.*
(2) *L. I. C. Theod. de Ann. et Tribut.*
(3) *L. XXXIII. C. Tehod. de Ann. et Tribut.*

tur (1). *Si tributum petit Imperator, non negamus: agri Ecclesiastici solvunt tributum: solvimus, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo. Tributum Caesaris est, non negamus.*

2.° A tributis vero extraordinariis, quæ *Superindicta* dicta sunt, aliquando immunia, aliquando obnoxia fuere (2).

3.° Quoniam Clericis inferioribus ad victum comparandum fas erat olim quoddam modestum industriæ genus exercere, a pendendis vectigalibus ratione tenuis mercaturæ eos immunes voluit Constantius. Deinde cum ex Clericis nonnulli ea immunitate ad avaritiam abuterentur, non solum mercaturam exercere vetiti sunt, sed etiam si exercerent, et ordinaria, et extraordinaria vectigalia pensitare cogebantur (3).

4.° Clericos *a militum tironum, et equorum militarium praebitione* Theodosius Junior (4), a *denarismo* vero *unciae*, seu *descriptione lucrativorum* Justinianus immunes voluere (5).

5.° Clericorum personæ a sordidis muneribus fuere immunes. Sed bona Ecclesiæ antiquitus immunitate fruebantur; postea vero reali præstationi obnoxia facta sunt (6).

6.° Clericis ab honorificis muneribus immuni-

---

(1) *Orat. de traden. Basilicis.*

(2) *L. VIII de Epis, et Cler. L. III. Cod. Theod. de itinere muniendo, et Novel. III ad calcem ejusdem Codicis.*

(3) *L. IX. et XII. Cod. Theod. de lustrali conlat.*

(4) *L. XXII. Cod. Theod. de Tironibus.*

(5) *L. XXII. de sacrosant. Eccl:, et Novl. CXXXI. cap. 5.*

(6) *L. XV. Cod. Theod de extraord: seu sord. muner.*

tatem indulsit Constantinus Magnus (1). Paucis post annis cum intellexisset idem Imperator legi a nonnullis laicis illudi, qui titularem quandam Ordinationem prætexentes immunitatem a Curialibus muneribus extorquebant, nova lege edixit, ut qui fraudolenter obsequia publica declinaret, Curiæ addiceretur (2). Verum qui secuti sunt Principes, Constantini legi derogarunt, iis qui Curialibus obsequiis obstringerentur, potestate facta vel alium sibi substituendi, vel tres patrimonii sui partes Curialibus addicendi (3).

7.° Largitate Constantini Magni a *Metato* Clerici eximuntur, nisi aut necessitas urgeat, aut in subsidium advocentur (4). Ex his igitur facile intelligi potest Ecclesiarum bona, et Clericorum personas sex prioribus sæculis varias subiisse vicissitudines, prout Imperatores magis, minusve in Ecclesias, earumve Ministros indulgentes fuere.

8.° Denique certi juris est patrimonialia Clericorum bona nunquam non fuisse ordinariis tributis obnoxia (5).

IV. Jam vero Imperio Romano in Occidente sub Francorum Regibus reviviscente, Ecclesiarum, et Monasteriorum prædia amplám adepta sunt immunitatem. Verum non multo post statutum est, ut si nova prædia censui subjecta Ecclesiæ adquirerent, tributa, quæ inde solvebantur, solvere pergerent (6). Verum ubi Concilia Lateranen-

(1) *S. Augustinus epist. 68.*
(2) *L. III. Cod. Theod. de Episcopis.*
(3) *Binghamus lib. V. cap. 3.*
(4) *L. VIII. Cod. Theod. de oner. Metati.*
(5) *L. XV. Cod. Theod. de Episcopis, et Cleric.*
(6) *Lib. IV. Capitul. cap. 37.*

sia, alterum sub Alexandro III., alterum sub Innocentio III. Ecclesiarum, et Clericorum bona a tributis generatim exemta decreverunt, hujúsmodi decreta non ubique eodem modo excepta sunt.

MANTISSA.

Jure Neapolitano quid de reali Clericorum immunitate actum fuit in pactis conventis inter Benedictum XIV. et Carolum Borbonium olim Regem nostrum, videsis Concord. cap. 1.

FINIS LIBRI I.

INSTITUTIONUM
JURIS CANONICI.

LIBER II.

TITULUS PRIMUS.

DE RERUM DIVISIONE, ATQUE ADMINISTRATIONE.

I. HACTENUS de Personis, nunc de Rebus. Porro jus Civile res spectat, prout adquiri, tueri, aut amitti possint. At jus Canonicum de rerum divisione agit, non prout adquirantur, sed prout administrentur. Res enim Ecclesiasticæ sunt vota fidelium, patrimonia pauperum, pretia peccatorum. Deinde Res Ecclesiasticæ vel spirituales, vel temporales sunt: quarum illæ ad animarum salutem; hæ vero ad Ecclesiae, ac Ministrorum usum pertinent. Præterea rerum spiritualium aliæ incorporeæ sunt, atque adeo sensibus non subjiciuntur, uti virtutes, Spiritus Sancti donatio-

nes; quæque Theologorum penum constituunt: aliæ vero sunt corporeæ, et sensibus obnoxiae; et eae in res Sacras, Sanctas, Religiosas, et Sacramenta dividuntur. De his igitur tractatum instituentes, a rebus Sacris, Sanctis, et Religiosis auspicabimur, ad reliquas recto ordine processuri.

II. Et sane res Sacræ sunt eæ, quæ rite per Pontificem, sive Episcopum, aut Episcopalis potestatis compotem Deo consecrantur: quales sunt.

1.° Ecclesia, vel locus in ea consecratus.

2.° Reliquiæ Sanctorum, illorumque Repositoria.

3.° Vasa Sacra, indumenta Sacerdotalia, et altaris ornamenta; itemque imagines Dei, Christi, B. Virginis, Sanctorum, et Signa, quibus illi repræsentantur.

III. Sunt vero res Sanctae, quae sanctione legis de profano commercio eximuntur (1), quo sensu Sancta etiam dicuntur, quae supra commemoravimus; et exterior Ecclesiae ambitus Sanctus nuncupatur. Et Ecclesiae Sacrosanctæ dicuntur, quae sic et lege, et religione factae sunt: religione quidem, quod sacris ritibus sint Deo consecratae: lege autem, quod divinis, humanisque sanctionibus quisque violare vetetur.

IV. Religiosae res sunt loca, quo inlatus est mortuus. Quæ religio ante Christianos privata auctoritate inducebatur: nunc non sine Episcopi jussu, et justis persolutis religio inducitur. Propterea religiosa dici possunt Monasteria, et alia loca Pietati dicata.

---

(1) *Isidor. lib. LIII. Orig. cap. 4.*

TITULUS II.

De sacramentis generatim.

§. I. Quid in Sacramentorum ministris requiritur? | II. An in Sacramentorum administratione licet quid taxare?

I. Jam vero pluribus de Ecclesiae Sacramentis quaestionibus, quas de nomine, numero, materia, forma, auctore, necessitate, charactere, aliisque tractant Theologi, se abstinent Canonistae, et tantum sacros Canones, Synodalia decreta, et Ritualia in eorum administratione servanda sibi vindicant. Itaque ergo his missis, ad ea gradum faciamus, quae Sacramentorum ministris praestanda praecipiuntur.

Et quidem 1.° Sacros Ecclesiae Ministros decet sanctissimam vitam vivere, utpote qui singulis momentis parati esse debeant ad sancta sancte tractanda.

2.° Ad Sacramenta ministranda acciti, nulla mora interposita, currant, ne quis eorum incuria, sine Sacramentorum penore ex hac vita decedat.

3.° Fidelem populum frequenter edoceant, qua pietate, qua animi religione Sacramenta suscipienda sint.

4.° Caveant quam maxime, ne ritus ab Ecclesia Catholica in Sacramentorum administratione praescriptos aut omittant, aut negligant, aut in novos commutent.

5. Se religiose a cujusque rei temporalis exactione abstineant. *Pretio* enim *nulla res Dei constat*, inquiebat Tertullianus (1). Quare Syno-

(1) *Apologet: cap. 39.*

dus Lateranensis II. sub Innocentio II. (1) sancivit: *Et neque pro pastu, vel sub obtentu alicujus consuetudinis ante, vel post a quodam aliquid exigatur, vel ipse* (qui sacramenta suscipit) *dare praesumat, quoniam Simoniacum est.* Id quod etiam praescribunt Synodus Lateranensis III., et quae deinceps secuta sunt Concilia. Ceterum ubi Fideles aliquid sua sponte Ministris Ecclesiae offerunt, accipere vetitum non est.

II. Quoniam Parochi haud raro annuis reditibus ex populi oblationibus vitam transigere coguntur; neque indecorum est, neque Simoniam sapit taxare, quid Parocho in Sacramentorum adminstratione, aliisque sacris functionibus sit conferendum. Hic mos fere ubique maxime invaluit in Matrimonio ministrando. *Dignus est operarius cibo suo* (2). Hinc doctissimus Espenius (3). *Parochialia hujusmodi jura videntur in locum decimarum personalium* (*quae de jure communi debentur, et hodie passim in desuetudinem abierunt*) *successisse: ut sicut laici eo titulo debebant de omni suo lucro decimas dare Sacerdotibus, ita vice illarum solvant jura illa, vel viventes dum Matrimonium ineunt, vel post mortem, dum sepeliuntur.*

---

(1) *Cap.* 2.
(2) *Matthaei cap.* x.
(3) *Part. II. tit. I. cap:* 3.

TITULUS. III.

De baptismo.

I. Jam vero jure veteri ordinarius baptismi conferendi minister erat Episcopus. Ad rem Tertullianus (1). *Dandi baptismi jus habet summus Sacerdos: deinde Presbyteri, et Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.* At jure novo, Paraeciis constitutis, Parochi veluti ordinarii Ministri baptismum conferunt. Presbyteri vero, et Diaconi, nonnisi venia ab Episcopo, vel Parocho prius impetrata: hac tamen differentia, quod Presbyteri ad Parochi voluntatem: Diaconi vero, ubi Parochus legitime impeditus sit, ministrant Baptismum. Verum urgente necessitate, quemlibet etiamsi haereticus sit, aut ethnicus, baptismum conferre posse nemo ignorat.

MANTISSA.

In Synodo Aversana sub clarissimi Cardinalis Caracciolo auspiciis coacta sancitum est, ut nulli feminae liceat obstetricis munus exercere, nisi a proprio Parocho per examen adprobetur, ip-

(1) *Lib. de Baptismo cap. 16.*

siusque adprobationis in scriptis testimonium obtineat (1).

II. Ab primis Ecclesiae exordiis sollemni Baptismo adfixus est dies. Paschae, et Pentecostes, et in nonnullis Orientis Ecclesiis dies Epiphaniae: immo in Ecclesia Hierosolymitana mos inolevit, ut baptismus in anniversaris Encenniis Basilicae a Constantino M. supra Christi sepulcrum aedificatae conferrentur: et apud Hispanos, et Gallos etiam in festis Apostolorum, et Martyrum. Hispanorum, et Gallorum consuetudo, quam confusionem appellat Siricius, a Leone M., et Gelasio RR. PP. castigata est. Verumenimvero pueros infantes mille inopinis casibus obnoxios, ubi quam primum commode fieri potest, baptismum esse conferendum ab Apostolica traditione accepit Ecclesia, et Patrum auctoritas confirmat.

MANTISSA.

Synodus Aversana parentes, qui post octavum ob ortu diem baptisma suorum infantium distulerint, excommunicatione, Parochos vero, quorum culpa infantes sine baptismo decesserint, suspensione Episcopo reservata percellit (2).

III. De loco, quo baptismus ministrandus est, satis est adferre Concilium Viennense, quod prohibuit, *ne quis in aulis, vel cameris, aut in aliis privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati*

---

(1) *Part. II. cap. 2. de Baptismo n. II.*
(2) *Part. II. cap. 2. de Bapt. n. 1. et 2.*

(*nisi Regum*, *vel Principum*, *quibus valeat in hoc casu deferri*, *aut talis necessitas emerserit*, *propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi*) *audeat baptizare* (1).

IV. Catechumeni, quos Tertullianus *Novitiolos* (2), et Augustinus *Tirones Dei* (3) appellant, ii sunt, qui per quosdam Christiani tirocinii gradus ad baptisma disponuntur, ac praeparantur. Verbum enim κατηχεμενειν in Sacro Codice prima Christianae Religionis elementa doceri significat. Porro Catechumeni ex Morino, Chardonio, aliisque summis hujus rei tractatoribus tres in partes, in *Audientes* scilicet, in *Genuflectentes*, seu *Prostratos*, et *Competentes*, sive *Electos* dividuntur.

1.° *Audientes* dicti sunt, qui Ecclesiam ingressi, Sermones, et Scripturas, quae in prima Liturgiae parte recitabantur, audiebant: quibus auditis, clamante Diacono, illico exibant ex Ecclesia (4).

2.° *Genuflectentes*, seu *Prostrati*, egressis *Audientibus*, in Ecclesia remanebant, ubi in genua provoluti manuum impositionem certis cum precibus ab Episcopo accipiebant: quo facto, Diacono clamante, Ecclesia egrediebantur (5).

3.° *Competentes*, seu *Electi*, exacto examine, destinabantur Baptismo, quem proximis Paschae, et Pentecostes diebus recipiebant

(1) *Clemen. unic. de Bapt.*
(2) *Lib. de Poenit. cap: 6.*
(3) *De Symb: ad Catechum:*
(4) *Const: Apost: lib: VIII: cap:* 5.
(5) *Const: Apostol: ibidem ; Con: Nicaen: can. XIV.*

*

Hinc a Cyrillo Hierosolymitano φωτιζομενοι nuncupantur (1). Præterea statim ac quis inter *Audientes* numerabatur, incipiebant Catecheses, quibus Christianae religionis rudimenta, bonosque mores docebant Episcopi, et in nonnullis Ecclesiis Catechistae, qui aliquando Clerici, aliquando vero laici erant, creabantur, quos Cyprianus *Audientium* Doctores nominat (2). Denique loca, in quibus Catecheses habebantur, vel erant privatae aedes, vel prope Ecclesias ipsas conclavia. Ritus vero, et caerimoniæ, quibus Catechumeni baptismate initiabantur, erant ferme eædem, atque illae, quas nunc utitur Ecclesia; uti ex Tertulliano (3), et Basilio (4), aliisque colligitur.

V. In veterum Patrum monumentis patrinos, qui *Sponsores*, *Fideijussores*, *Offerentes*, *Susceptores* vocitantur, ad baptismum adhibitos fuisse relatum est. Quod quidem munus primum parentes; dein extranei susceperunt. Etenim Cognatio spiritualis conjugia dirimens secutis temporibus inducta fecit, ut parentes suos filios e sacro fonte suscipere prohiberentur. Neque cuiquam hominum generi hujus sanctae tutelae administratio committenda est. Quamobrem ab hac curatione arcentur Haeretici, Judaei, Infideles, quippe qui fidei veritatem mendaciis obscurant, atque omnem Christianam pietatem evertunt.

---

(1) *Catachesi 1. et 11.*
(2) *Epist. XXIV. alias. XXIX.*
(3) *Lib. de corona militis cap: 3.*
(4) *Lib: de Spiritu S. cap: 27.*

MANTISSA.

Quos ab hoc officio repellit quoque Synodus Aversana Caraccioliana, consule Part. II. cap. II. de Bapt. n. 4. et 5.

TITULUS IV.

De confirmatione.

§. I. Confirmatio quid? et quibus olim dabatur?	II. De Chrismate?

I. Etsi spiritalis regeneratio, quae in baptismo obtinetur, satis sit ad salutem consequendam, tamen Christiani post baptismum, ut paratam innocentiam servent, Diaboli, et saeculi ictibus, ac petitionibus resistant, alio auxilio, Confirmationis scilicet Sacramento indigent. Et sane Christiani post baptismum susceptum statim quoque Confirmatione initiebantur (1); his exceptis casibus, quibus vel Episcopus abesset, vel ab Ecclesia Matrice longe distarent, qui baptisma suscepturi erant. Hic mos, qui tam in adultis, quam in infantibus accurate servabatur, nunc temporis apud Graecos invalescere non potuit (2). Verum Ecclesia Catholica confirmationem in eam aetatem differre voluit, qua pueri rationis usum habere censentur.

---

(1) *Tertul: de Baptis: cap: 7: Cyril: Hierosolym: Catech: Mystag. cap:* 3. *Const: Apost. lib: VII. cap: 43.*
(2) *Jacobus Goar. in notis ad Rituale pag. 367.*

II. Chrismatis nomine in confirmatione venit Unguentum, quod Latini ex oleo, et balsamo; Graeci vero ex oleo, balsamo, et triginta quinque aliis aromatum speciebus, addita non exigua vini quantitate, conficiunt. Porro Chrisma semper ab Episcopo confectum est, a quo publici Paraeciarum curatores singulis annis accipiunt (1). Quinimmo Patriarchae Constantinopolitanus, et Alexandrinus Chrismatis consecrationem ita sibi vindicarunt, ut ab ipsis Metropolitae, et Episcopi accipere deberent. Hic ex Cardinali Bona (2) silentio non est praeterundum olim feria v. Majoris Hebdomadae Missas tres celebrari solere, in quarum altera Poenitentibus pax dabatur: altera consecrabatur Chrisma: tertia demum illius diei officium spectabat.

TITULUS V.

De Eucharistia.

§. I.	Eucharistia quid? quae ejus nomina?	III.	Quando Eucharistia suscipienda?
II.	Qui Eucharistiam dispensant?	IV.	Eucharistia publice circumfertur?

I. Eucharistia, quae Graeca vox est, et gratiarum actionem significat, Coena Domini, Eulogia, Communio, Viaticum, Mysterium amoris, et caritatis, et ab Apostolo Paulo, et ab antiquis Patribus nuncupata est. Et sane Eucharistia.

(1) *Conc: Carthag: IV. can. 36.*
(2) *Ret: liturg: lib: 1. cap: 8.*

1.° Dicitur Coena Domini, quod in illo novissimae coenae salutari mysterio instituta est.

2.° Dicitur Viaticum, tum quia hoc cibo in hujus vitae peregrinatione sustentamur: tum quia via nobis ad aeternam felicitatem munitur. Hinc olim Fideles Eucharistiam non solum domi retinebant, et longum iter suscepturi eam secum deferebant, sed etiam cum mortuis sepeliri consueverunt, uti de S. Basilio Amphylochius (1), et de S. Benedicto Gregorius M. (2) testantur. Pueris vero infantibus etiam impertiebatur, quae quidem consuetudo apud Latinos ad saeculum usque XI. viguit, et apud Graecos adhuc servatur. Et ob receptos mores ultimo supplicio morituris Eucharistiae Sacramentum in Italia, Germania, aliisque in locis non negatur; id quod contra accidit apud Gallos, et Hispanos.

3.° Dicitur Eulogia, hoc est benedictio juxta illud Apostoli: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Corporis Christi est?* (3)

4.° *Communio*, quia per illam Christo, et fidelibus omnibus conjungimur, atque unum corpus efficimur (4).

5.° Mysterium amoris; quia hoc Sacramentum amorem, caritatem, religionem spirat; ob idque olim emerserunt Agapae, scilicet plena amoris mutui convivia, quae divitum expensis in Ecclesiis agitabantur vespere, easque sequebatur Eu-

---

(1) *Scriptor vitae S. Basilii.*
(2) *Lib: II. Dialog: cap: 24.*
(3) *I. Corin: cap: X. v. 17.*
(4) *I. Corin: cap: X. v. 17.*

charistiae susceptio, idque ad Dominicae passionis commemorationem. Verum data Ecclesiae pace, Agapas in luxus, et ebrietates versas Canones celebrari vetuerunt (1).

II. Sed quod spectat ad ministrum, is necessario Sacerdos esse non debet. Sane in veteri disciplina Diaconi, veluti Ecclesiae ministri inter Missarum sollemnia Christi sanguinem populo tribuerunt; non item corpus, si Presbyter adesset, nisi id facere juberentur (2). Verum Diaconi, ubi Eucharistia sub una specie sumi caepta est, eam administrare desierunt, et si necessitas cogat, etiam hodie ex Episcopi mandato Eucharistiam dispensant. Jure novo Regulares, licet sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda sine speciali Parochi venia sive Clericis, sive Laicis Eucharistiam ministrare vetentur, hodiernis tamen moribus contrarium obtinet; sicque jus Parochorum ad Viaticum, et Paschalem Communionem redactum est.

III. Jam ab Ecclesiae primordiis Fideles vel quotidie, vel pluries per hebdomadam; et quidem stantes, prono capite, dimissis oculis Christi corpus, et sanguinem accipiebant. Deinde labentibus annis, et frigescente caritate, eo perventum est, ut Concilia IX. saeculo coacta jusserint, laicos ter saltem per singulos annos, nimirum die Natalis Domini, Paschae, et Pentecostes Eucharistiam sumerent. Hoc Ecclesiae praeceptum cum non parum negligeretur, Synodus Lateranensis IV. decrevit, ut omnes utriusque sexus ra-

---

(1) *Conc: Laodic: can:* XXVIII. *Carthag.* VI. *can:* XXX. *Trull: can:* LXXIV.

(2) *Cyprian. de Lapsis.*

tione utentes saltem quotannis proprio sacerdoti peccata sua confiterentur, et ad minus in Pascha Sacramentum Eucharistiae susciperent, alias excommunicentur (1). Decretum Lateranense firmarunt Patres Tridentini (2). Itaque ergo annuae Communionis praecepto satisfacit, qui a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis expletam in Ecclesia Cathedrali, quae communis Paraecia censetur, vel in propria Parochia, vel sui Pastoris venia in alia Ecclesia Eucharistiam manducat.

IV. Profecto Eucharistia, cum sacris operaretur, fideli populo adoranda exhibebatur: attamen Ecclesia, ut augustiorem faciat Eucharistiae cultum, saeculo XIV. Urbano IV. Pontifice, Corporis Christi festum instituit, eamque sollemni ritu per plateas publice circumfert, et passim in Ecclesiis ad adorationem exponit.

TITULUS VI.

DE POENITENTIA.

§. I. Olim triplex poenitentiæ genus?
II. Poenitentes etiam triplicis generis?
III. Opera Poenitentiae?
IV. Hodie Poenitentia Canonica non omnino desueta?
V. Qui Poenitentiae Ministri?

I. Poenitentiam hic non prout *μετανοια*, seu virtus, neque prout Sacramentum est, neque quidquid etiam ad hoc Sacramentum pertinet,

(1) *Cap. 12. ex: de poeniten: et remiss.*
(2) *Sess. XXIII. de Euchar. can. 9.*

explanare adgredimur, sed tantummodo quodnam in veteri Ecclesia poenitentiae genus viguit. Itaque in Ecclesia, atque adeo usque ad XII. ferme saeculum triplex obtinuit genus poenitentiae, scilicet Canonicae, seu sollemnis, publicae, et privatae. Et sane.

1.° Poenitentia sollemnis, seu Canonica ob publicum delictum, vel publice notum ab uno Episcopo imponebatur; ab unoque Episcopo Poenitentes reconciliabantur (1). Immo peccata aliquando vulgari solebant, sed ea tantum, quae in Ecclesiae utilitatem cedebant, nec periculum aliquod peccatori ingerebant (2).

2.° Poenitentia publica ob occultum crimen, sed gravius, injungebatur, et reconciliandi potestas, absente Episcopo, vel etiam inconsulto, erat penes Presbyterum: id quod occulte fiebat.

3.° Quemadmodum privata poenitentia privatim expiebatur, ita reconciliatio privatim per Presbyteros peragebatur. Quod si Diaconi peccatorum in extremis agentium confessiones excepisse videntur, id non de Confessione sic proprie dicta, seu Exomologesi, sed de quibusdam caerimoniis, quae cum quadam manuum impositione conjunctae erant, intelligendum est. Etenim duplex erat Absolutio, altera scilicet Sacramentalis, Canonica vero altera; quarum illa per Episcopos, vel Presbyteros; haec vero post peractam poenitentiam, et antequam sumeretur Eucharistia, per Diaconos dabatur.

II. Vetus Ecclesia satisfactionem, quae Deo rependenda erat, a poenitentibus exigere solebat; qui

---

(1) *Cyprian. Epist. 11. et Conc. Carthag. IV. can. 32.*
(2) *Marinus de administ. poen. lib. II. cap. 9. et seqq.*

quidem per plures gradus ab absolutionem perducebantur. Quinque porro erant Poenitentium Ordines.

Primus *Flentium* ad fores Ecclesiae, seque introeuntibus commendantium, ut sibi veniam impetrarent.

Secundus *Audientium*, qui in Ecclesiam ad concionem audiendam admittebantur, et postea statim dimittebantur.

Tertius *Substratorum*, qui in genua provoluti, et manuum impositionem sub certis precibus ab Episcopo accipientes ab Ecclesia egrediebantur.

Quartus *Consistentium*, qui edmittebantur ad preces publicas, sed excludebantur a Sacrificio.

Quintus denique eorum erat, qui omni pœnitentia perfuncti, dumtaxat communionem Corporis Christi expectabant.

III. Opera poenitentibus Ecclesiae auctoritate peragenda, erant corpus continuis jejuniis macerare; eleemosynas erogare; diebus Dominicis, et festis, et integra Pentecoste flexis genibus preces fundere; et in Ecclesiis Africanis mortuos efferre, ac sepelire (1); balneis, conviviis, matrimonii usu, et nuptiis contrahendis abstinere. Quinimo in Ecclesia Latina eo serveritatis ventum est, ut poenitentes post acceptam pacem, militiam, mercaturam, officia, aliaque hujusmodi amplius non sectarentur (2). Denique pullas vestes cinere conspersas, et cilicia induebant, et caput incultum gerebant. De hac re plurimum refert S. Hieronymum legere Epistola ad Oceanum de obitu

---

(1) *Bingham: Orig: Eccles: lib: XVIII. cap.* 2.

(2) *Siricus P. Epist. ad Himerium Tarracon: et Leo M. Epist. XCII. ad Rustic. Narbon.*

Fabiolae inter Romanas Matronas nobilissimae.

IV. Quamvis hodie mutata temporum ratione remissius cum poenitentibus agatur, idque ante peractam pœnitentiam, dummodo eam candide promiserint, absolvantur, tamen publica poenitentia non est in Ecclesia omnino desueta. Etenim Tridentina Synodus (1) decernit, *publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse, non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpae poenitentiam publice injungi oportet.... Episcopus tamen hoc publicae poenitentiae genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Et Pontificale Romanum (2) publicæ poenitentiae diem Cinerum, et publicæ absolutioni feriam V. in Coena Domini destinat. Idipsum Episcopos, et Parochos Carolus Borromaeus in suis Synodis hortatur.

V. Jam vero Sacramenti poenitentiæ ministri sunt Episcopi, et Presbyteri. Lapsu temporis Episcopi integrum poenitentiæ negotium deposuerunt, et onus suscepere Presbyteri, quorum alii jure proprio, quales Parochi, et Poenitentiarii, alii vero jure delegato poenitentiam administrant. Nec tantum Episcopi, sed etiam Parochi olim inferioribus Presbyteris confessiones excipiendi potestatem faciebant (3); id quod Parochis in Comitiis Tridentinis ablatum est (4). Itaque ergo

(1) *Sess: XXIV. Ref: cap: 8.*
(2) *Part: III. n. 2. et 3.*
(3) *Cap: 12. ex: de poenit: et remiss:*
(4) *Sess: XXIII: Ref: c. 15.*

sine Episcopi venia inferiores Presbyteri Sacramentum Poenitentiæ non administrant. Verum sæculo XIII. Gregorius IX. Fratribus Prædicatoribus; dein Minoribus, et aliis Mendicantibus indulsit, ut fidelium confessiones sine Episcopi venia exciperent. Hinc sexcentæ lites inter Ecclesiarum Prælatos, et Mendicantes excitatæ diu Ecclesiam vexarunt; donec Concilii Tridentini Patres Mendicantium privilegia excusserint, eosque in negotio poenitentiæ iterum Episcopis subjecerint (1).

TITULUS VII.

De extrema unctione.

§. I. Extremae unctionis vocabulum quid? | II. Qui oleum benedicit? | III. Qui ejus ministri?

I. Nomen extremae unctionis, quod a Latinis *Oleum sanctum*, *Oleum benedictionis*, *unctio infirmorum*, a Graecis vero αγιον ελαιον, *sanctum oleum*, et ευχελαιον, *oratio cum oleo* nuncupatur, exeunte saeculo XII. procusum esse observat Mabillonius (2).

II. Ex veteri disciplina Oleum benedicitur; et quidem apud Latinos ab Episcopis feria V. in in Coena Domini: apud Graecos vero a Presbyteris semper ac dandi sacramenti occasio præbetur. Porro benedictio Olei ad Sacramenti naturam non pertinet, sed Ecclesiae auctoritate ad-

(1) *Sess: XXIII. Ref: cap: 15.*
(2) *Praef: ad saec: 1. Benedict: n. 98.*

dita est, ut eo magis de ejus virtute constaret (1).

III. Quoniam jure divino Episcopi, et Presbyteri hoc Sacramentum ministrant, factum est, ut apud Graecos antiquis moribus septem Presbyteri, aut saltem tres, sicut olim apud Latinos plures Presbyteri advocentur (2). Verumenimvero a saeculo XII. ab uno Presbytero infirmi inungi caeperunt, licet Ecclesia etiam in praesentiarum optat, ut Parochus Oleum sanctum ministraturus plures Presbyteros, clericosque adhiberet; quod et monet S. Carolus Borromaeus (3).

TITULUS VIII.

De ordine.

Superiore libro non pauca de singulis Ordinibus disserimus. Itaque ne actum agere videamur, studiosos eo remittimus.

---

(1) *Sambovius de Sacr: extr: unction: diss: III. art. 1.*
(2) *Menardus notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 253.*
(3) *Conc. Mediol: IV. part: II. cap. 6.*

TITULUS IX.

DE MATRIMONIO.

I. Jam vero Matrimonium natura, et origine sua est contractus; ast apud Christianos, Christo auctore, inter sacramenta censetur, et a Theologis, et Canonistis dividi solet in legitimum, ratum, et consummatum. Legitimum juxta leges Gentium, non in fide Christi initur, qualia Infidelium, atque Iudaeorum matrimonia. Ratum a fidelibus ex regulis Christianae Religionis contrahitur, sed nondum corporum conjunctione in usum deductum est. Consummatum vero est, si corporum conjunctio accedat, exprimitque mysterium inter Christum, et Ecclesiam.

II. Christianorum nuptiae sollemni ritu celebrandae sunt, quod interest Ecclesiae, et Reipublicae, ut de Familiarum statu constare possit. Præcipuus vero ritus fuit Hierologia, idest Sacerdotalis benedictio, quae vel ab initio Christianae Religionis obtinuit: quod expresse testatur Tertullianus (1); et S. Ignatius Martyr, qui ante Tertullianum floruit, ad Polycarpum sic scribit: *Decet vero, ut ducentes uxores, et nu-*

---

(1) *Ad uxor. lib. II. cap. 9.*

bentes cum Episcopi arbitrio conjungantur, ut nuptiae juxta Domini praeceptum sint, non autem ad concupiscentiam (1). Haec nuptiarum benedictio inter Missarum sollemnia fiebat: et hinc Missa propria nubentium tandem recepta est. Porro nuptiarum Benedictio per Ecclesiam inducta, et inde per leges civiles confirmata in utraque Ecclesia diu stetit. At tractu temporis remissior disciplina invaluit, quae habebat quidem, Matrimonia coram Ecclesia benedictione Sacerdotali esse celebranda, sed valida, etsi illicita reputabat clandestina, donec Concilium Tridentinum ea irrita declaravit, statuitque Matrimonium contrahi debere coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii venia, et duobus, vel tribus testibus cujuscumque generis ii sint, modo quod agitur, intelligant: itemque Matrimonium ab eodem Parocho benedici debere (2). Parochus autem, coram quo Matrimonium contrahere oportet, ille est, in cujus Paraecia contrahentes vere morantur: etsi eo loci perpetuo morari non intelligant. Et si contrahentes sint diversarum Paraeciarum, unus Parochus sive viri, sive mulieris matrimonio aderit, licet multis in locis mos inolevit, ut coram Parocho mulieris nuptiae ineantur.

III. Heic loci etiam nostra interest scire, quid sit Matrimonium *Conscientiae*, uti dicunt, et utrum legitimum sit, et permitti debeat. Matrimonii conscientiae nomine venit conjugium, quod ex indulgentia, omissis proclamationibus, coram Parocho, duobus tantum testibus ea

(1) *Bingham: Orig: Eccles. lib: XXII. cap. 4.*
(2) *Sess: XXIV. Ref: Matr.*

mente contrahitur, ut aliis non manifestetur. Matrimonium sic initum clandestini vitio laborare non censetur. At quia non paucis incommodis obnoxium erat, Benedictus XIV. sapienter edixit (1), ut matrimonium conscientiae ex legitima, ac graviori causa, personarumque inspecta dignitate, ab Episcopo permittatur, qui vel alterius contrahentium Parochum, vel alium Sacerdotem huic muneri adimplendo parem destinat. Praeterea ex eodem Pontifice duo Codices, qui clausi, et obsignati in Episcopali Curia adserventur, conficiendi sunt: in quorum altero hujus generis matrimonia, altero vero filiorum baptismata describuntur. Qui interim filii nascuntur a Patre, eove mortuo, a Matre intra triginta dierum a nativitate spatium Episcopo denuncientur; alias arcani fides abrumpitur, et matrimonium, ne fortasse aliis damno sit, publicentur. Hæc est illius Bullae Summa, quae apud nos regia auctoritate publici juris facta est.

IV. Jam Sponsalia Matrimonio præmitti solent, idque ut matrimonium cautius ineatur, et Christiani ad Sacramenti gratiam accipiendam se disponant. Itaque Sponsalia sunt *futurarum nuptiarum promissio;* sic dicta a *spondendo*, quia apud Romanos in more positum fuit stipulari, et spondere sibi uxores (2). Tractu temporis stipulationibus neglectis, solo consensu Sponsalia inita sunt, cui juri etiam adhaesit Ecclesia. Sponsalia vero jure Canonico sunt duplicis generis, alia de *praesenti*, alia de *futuro*; quorum ista sunt consensus in futuras nuptias, illa vero sunt

---

(1) *Bulla* Satis vobis. *XXXV. tom: Bullarii.*
(2) *L. 2. D. de Sponsalibus*.

consensus in praesens matrimonium. Nos in hoc argumento Sponsalia de *futuro* loquamur.

V. Porro omnes, qui in futuras nuptias possunt consentire, recte Sponsalia contrahunt. Eam vero aetatem Pontifices definivere septennium absolutum (1). Quod si contrahentes filiifamilias sint, etiam parentes consentiant, aut saltem non dissentiant. Consensus porro, dummodo sit certus, nihil refert, expressus sit, an tacitus: item parentes filiorum impuberum, puberumve nomine Sponsalia paciscuntur: pactoque parentum filii, si expresse, vel tacite consenserint, stare tenentur. Et hinc quis contrahit Sponsalia per procuratorem, per mandatum, per ratihabitionem.

VI. Ex Sponsalibus nascitur obligatio nuptiarum contrahendarum, quod si Sponsalia reciproca fuerint, vel in scriptis redacta, pars renuens etiam censura Ecclesiastica compellenda est, dummodo adjuncta id suadeant; puta si per osculum pudicitia delibata est, vel si sponsa deflorata; alias judici Ecclesiastico censuris abstinendum est.

VII. Variis porro ex causis Sponsalia, licet rite confecta, dissolvuntur.

1.° Quidem praeter mortem naturalem solvuntur communi utriusque partis dissensu, quamvis juramento firmata. Juramentum enim ipsam contractus naturam non immutat (2). Impuberes vero, ubi ad pubertatem venerint, dissentire possunt, modo corporum conjunctione abstinuerint (3). Si vero, Sponsalibus inter puberem, et impu-

(1) *Cap: 12. de Despons: impub.*
(2) *Cap.* Praeterea *2. de Sponsalibus.*
(3) *Cap.* A nobis *8. de Sponsalibus.*

berem contractis, qui impubes erat, ubi ad pubertatem pervenerit, ab iis velit discedere, etiam altero dissentiente, Sponsalia dissolventur (1).

2.° Dissolvuntur Sponsalia tam de *futuro*, quam de *praesenti*, ubi alteruter conjugum, etiam invito altero, monasterium ingrediatur, vel professionem emittat: sed quousque edatur Religionis professio, obligatio potius in suspenso est, quam solvitur: relictus vero ab initio liberatur (2).

3.° Per Sacri Ordinis susceptionem (3).

4.° Per profectionem alterutrius ad longinqua sine alterius consensu, respectu tamen partis relictae (4).

5.° Per matrimonium, quod sponsorum alter injuria quidem, sed valide cum alio, aliave contraxit (5).

6.° Per fornicationem Sponsalia inita subsequentem. Si enim Sponsalia praecesserit, et sponso innotuerit, eam remisisse censetur: alias vero, si sponso fuerit ignota (6).

7.° Per insignem turpitudinem, aut infirmitatem. Omnibus enim pactionibus, et praesertim Sponsalibus inest conditio tacita: *rebus ita stantibus*.

8.° Per supervenientem furorem, affinitatem,

---

(1) *Cap.* De illis *7. de Desp. impub.*
(2) *Cap.* Verum *2. de Conver. conjugator.*
(3) *Cap. unic. de voto in. 6.*
(4) *Cap.* De illis *5. de Spons.*
(5) *Cap.* Si inter *31. de Spon.*
(6) *Cap.* Quemadmodum *37. de Jureju.*

cognationemve spiritualem (1). Postremo per votum castitatis ante Sponsalia susceptum. Votum enim simplex apud Deum non minus obligare, quam sollemne rescripsit Caelestinus III. (2). Causae, quae Sponsalia dirimunt, his versiculis continentur.

Consensus mutuus, nec non absentia Sponsi,
Copula, Connubium, insignis mutatio, tempus,
Ordo, Relligio, Affinis Sponsalia solvunt.

---

(1) *Cap.* Super. eo 2. *de Consan. et Affin:* , *et cap:* Veniens 6. *de cognat: spirit.*
(2) *Cap·* Rursus 6. *qui cleric. vel vovent.*

TITULUS X.

De Impedimentis Matrimonii.

§. I. Matrimonii impedimenta duplicis generis?
II. Nuptias nullas facit Error?
III. Conditio servilis an vitiat nuptias?
IV. An etiam Votum?
V. Cognatio quid? quotuplicis generis sunt lineae?
VI. Quae regulae in graduum computatione servandae?
VII. Inter quos cognatos nuptiae non consistunt?
VIII. Quid de cognatione legali?
IX. Quid de cognatione spirituali?
X. De impedimento Criminis?
XI. De Cultus disparitate?
XII. De Vi, et Metu?
XIII. Ordo Sacer dirimit nuptias?
XIV. Novas nuptias non contrahunt illigati?
XV. Et dirimit Honestas?
XVI. Et dirimit Amentia?
XVII. Affinitatis impedimentum?
XVIII. Impotentes ad concubitum inhabiles ad nuptias?
XIX. Nullum est connubium, si parochus, aut testes desint?
XX. De impedimento raptus?
XXI. Impedimenta impedientia quae?

I. Quemadmodum Matrimonium jure naturae, jure Civili, et Ecclestiastico, atque ipso nubentium facto constituitur, et regitur, ita quatuplici ex capite oriuntur impedimenta, quorum alia inter quasdam personas nullum prorsus reddunt Matrimonium; alia vero dumtaxat impediunt, quominus contrahatur, at non solvunt contractum. Hinc matrimonii impedimenta alia dirimentia, alia vero impedientia nuncupantur. Primi generis impedimenta his versiculis clauduntur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Amens, Affinis, si forte coire nequibis,

Si Parochi, et duplicis desit praesentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutae,
Haec facienda vetant connubia; facta retractant.

IMPEDIMENTA VERO ALTERIUS GENERIS SUNT SEQUENTIA

Ecclesiae vetitum, nec non tempus feriatum;
Atque Catechismus, Sponsalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

A DIRIMENTIBUS IGITUR EXORDIAMUR.

Error.

II. Et sane Error cum sit falsum judicium intellectus, vel circa personam versatur, vel circa qualitates. Error autem sive antecedens, sive concomitans jure naturae nullum facit matrimonium. Nullus enim quit consentire in id, quod ignorat; juxta illud Poetae: *ignoti nulla cupido.* Ast Error circa qualitates personae, uti sunt nobilitas, divitiae, et cetera id genus, nuptias non dirimit. Quod si qualitas sit Conditio, sine qua contrahentes nuptias inire noluissent, aut qualitas personam respicit, veluti si cui primogenitam ducere cupienti obtrudatur secundogenita, nuptiae vitiantur.

Conditio.

III. Conditio, servilis nempe, quam persona libera ignorat, jure Ecclesiastico, et Civili vitiat Matrimonium. Hic Servitus sic propre dicta intelligitur, quo servi jure Romano res, non homines censebantur. Quare olim etiam dominis consentientibus, inter servos Contubernium erat, non Matrimonium.

Votum.

IV. Sollemne Votum castitatis in Professione Religiosa nuncupatum jure novo dirimit matrimonium ratum, et contrahendum, non vero consummatum. Item Vota simplicia, quae in Societate Jesu emittuntur, nullas reddunt nuptias, uti cautum est a Gregorio XIII. (1).

Cognatio.

V. Cognatio triplex distinguitur, carnalis scilicet, quae Consanguinitas; legalis, quae Adoptio; et spiritualis, quae et Compaternitas nuncupatur. Consanguinitas definitur; *vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum* (2). Porro in consanguinitate lineae; in lineis gradus spectandi sunt. Linea vero est ordinata series personarum sanguine conjunctarum: item gradus sunt generationes personarum, quibus tanquam punctis linea componitur. Gradus quidem, quia illorum ordinatio scalas quodammodo exhibent. Deinde linea duplex est, recta scilicet, et transversalis: item duplex est linea recta, nimirum una adscendentium, et alia iis opposita descendentium ab adscendentibus generatorum. In linea transversa collocantur, qui ab eodem Stipite pendent, eorumque descendentes, uti sunt fratres, et sorores, qui eundem Patrem habent communem; et fra-

(1) *Bulla* Ascendente Domino.
(2) *S. Thomas Supplem. Q. LIV. art.* 1.

trum, et sororum filii, qui communem eundem avum habent; et sic deinceps. Linea transversa iterum duplex est, aequalis scilicet, et inaequalis. Equalis est, cum plures personae aequali gradu a communi stipite descendunt, ut fratres, et sorores inter se; fratrum, et sororum filii similiter inter se. Inaequalis cum plures a communi stipite inaequali gradu descendunt, uti filius fratris, et patruus. Denique nomine Stipitis venit persona, a qua consanguinei suam originem ducunt.

VI. Jam vero in gradibus computandis tres regulae ante oculos habendae sunt.

1.° In linea recta ascendentium, et descendentium tot sunt gradus, quot sunt personae, demto stipite. Hinc filius a patre uno gradu distat, nepos ab avo duobus, pronepos a proavo tribus.

2.° In linea transversa aequali personae tot inter se gradibus distant, quot distant a communi stipite. Sed in linea transversa inaequali, quoto gradu persona remotior distat a communi stipite, eodem gradu distant inter se. Hinc filius fratris, et patruus duobus inter se distant gradibus, quia filius fratris, qui est persona remotior, ab avo duobus gradibus distat. In graduum ratione jure civili ineunda dictum est in Justinianeis Institutionibus libro primo titulo X.

VII. Consanguinitas in quolibet gradu lineae rectae nullum facit matrimonium, ipsa natura hujusmodi coitiones maxime abhorrente. In linea autem transversa olim usque ad septimum gradum: at a Synodo Lateranensi IV. ad quartum usque gradum expletum nuptiae prohibentur (1).

(1) *Cap. 8. de Consanguin. et Adfinit.*

VIII. Jure civili Cognatio legalis triplex est. Prima est in linea recta ascendenti, et descendenti tam adoptantis, quam adoptati, quas inter personas, nuptiae, adoptione etiam soluta, non contrahuntur usque ad quartum gradum. Secunda existit in linea transversali inter adoptatum, et filias legitimas, et naturales adoptantis adhuc sub patria potestate manentes. Hoc autem impedimentum tollitur, vel dissoluta adoptione, vel filio a patria potestate dimisso. Tertia parit impedimentum inter adoptatum, et uxorem adoptantis (1).

IX. Demum Spiritalis cognatio vel ex baptismo exoritur, vel ex confirmatione: atque adeo impedimentum parit inter suscipientes, et susceptum, et hujus patrem, et matrem: inter Baptizantem et Baptizatum, Baptizatique patrem, et matrem, quos ultra prohibitio non extenditur (2). Idem de Confirmatione dictum sit. Hoc impedimentum prius a jure civili, quam a jure Canonico inductum videtur.

Crimen.

X. Adulterii scilicet, et homicidii. Impedimentum hoc quatuor modis accidere potest.

1.° Cum quis adulterium committit, facta promissione adulteram uxorem post ejus mariti mortem ducendi, sive ea promissio vera sit, sive falsa; aut pure promittit, aut sub conditione;

---

(1) *L. 4. de Ritib. nuptiar.*
(2) *Con. Trid. sess. XXIV. Ref. Matr. cap. 2.*

sicuti non interest, utrum promissio sequatur adulterium, an precedat (1).

2.° Cum quis conjugem occidit ea voluntate, ut matrimonium cum adultera ineat. At in hoc casu requiritur, ut adulterium jam homicidium praecesserit (2), et ut adultera sciverit adulterum viventem uxorem habere (3), et ut adulterium fuerit consummatum.

3.° Cum quis conjugem necat, consentiente, vel conspirante occisi conjugis consorte; at sine adulterio, etiamsi novus conjux ad fidem veniat (4).

4.° Denique cum quis, vivente uxore, alteram ducere tentat, et cum ea, sui conjugii conscia, adulterium patrat. Verum in hac specie minime refert, utrum adulterium sit admissum, sive post, sive ante tentatas nuptias (5).

Cultus disparitas.

XI. Ab primis orsis Ecclesiae connubium cum Judaeis, et Infidelibus vetitum est. Huic interdicto aegre obtemperabant fideles, cum in veteri historia talium connubiorum non pauca occurrant exempla. Quare prohibitionem hanc, quatenus matrimonium contrahendum impedit, esse de jure divino; quatenus vero solvit contractum, esse de jure Ecclesiastico, cum sanioribus Canonistis

---

(1) *Cap.* Significasti *VI. extr. de eo, qui duxit in matr.*
(2) *Can.* Si quis *V. causs. XXXI Q. I.*
(3) *Cap.* Propositum *extr. de eo, qui duxit in matr.*
(4) *Cap.* Laudabilem *I. extr. de Convers. Infid.*
(5) *Cap.* Ex litterarum *IV. et cap.* Cum haberet *V. extr. de eo, qui duxit in matr.*

licet colligere. Quod vero Haereticos spectat, Synodus Trullana (1) nuptias inter Fideles, et Haereticos contractas irritas declaravit: apud Latinos nuptiae cum Haereticis licet illicitae sint, et periculorum plenae, tamen consistunt (2).

Vis.

XII. Nihil consensui tam contrarium, quam vis, et metus, quae quidem si gravia fuerint, nullum faciunt matrimonium, id quod aliter se habet in ceteris contractibus, qui etsi in foro exceptionem pariant, tamen initi per vim, et metum consistunt. Utrum vero metus sit gravis, levisve judicis prudentia pensandum est. Excipe porro, si metus gravis a judice sit juste incussus. (3)

Ordo.

XIII. Ordo Sacer Ecclesiastica lege in Concilio Tridentino magis firmata impedit, quominus nuptiae contrahantur: at si jam contractae fuerint per Ordinis Sacri initiationem minime dirimuntur.

Ligamen.

XIV. Venio nunc ad Ligamen, sive ad Matrimonium jam contractum. Matrimonio jam contracto, et adhuc durante, matrimonium sequens jure Evangelico, et Civili polygamiam damnante, nul-

---

(1) *Can. LXXII.*
(2) *Bened. XIV. Const.* Matrimonia *edita 1741.*
(3) *Cap. x. de Sponsalibus, et Cap. 11. de Adulter.*

lum evadit; quamvis primum fuerit dumtaxat ratum, et posterius etiam consummatum (1).

Honestas.

XV. Impedimentum publicae honestatis jure Ecclesiastico exortum, nec incognitum juri civili, fit ex Sponsalibus puris, et non sub conditione initis, nisi conditio jam extiterit. Antiquitus usque ad quartum gradum productum est; licet Sponsalia quavis ratione essent irrita, praeterquam ex defectu consensus; sed jure Tridentino usque ad primum gradum, modo Sponsalia de *futuro* essent pura, et certa: immo impedimentum hoc, Sponsalibus aut morte, aut mutuo dissensu dissolutis, adhuc perseverat. In Sponsalibus autem de præsenti, et postea solutis, antiquo jure manente, ad quartum usque gradum porrigitur, licet matrimonium quovis ex capite sit nullum, praeterquam ex defectu consensus, aut in praejudicium priorum Sponsorum (2).

Amens.

XVI. Qui mente caret, nuptias jure naturae non contrahit. Furiosus vero sic stricte dictus, quando lucida intervalla habet, et sui compos est, ratum matrimonium init.

---

(1) *Conc. Trid. Sess XXIV. de Matr. can.* 2.
(2) *Pius V. constit.* ad Romanum.

Affinis.

XVII. Ab Affinitate etiam, quae duarum consanguinitatum conjunctio est, nascitur dirimens impedimentum. Hinc nec mulier viri sui consanguineo nubere, nec vir consanguineam uxoris ducere potest. Etenim per viri, atque uxoris coitionem diversae cognationes ita inter sese coalescunt, ut altera alterius videatur esse cognatio. Affinitas porro ex quadam cum cognatione *analogia* veluti lineas, et gradus recipit, qui eodem modo, ac consanguinitatis gradus numerantur. Quare in linea recta nuptiae in infinitum prohibentur, in linea vero collaterali nuptiae jure Ecclesiastico ad quartum gradum usque prohibentur. Quod si impedimentum ex fornicaria copula oritur, matrimonia usque ad secundum gradum expletum dirimuntur (1).

Si forte coire nequibis.

XVIII. Impotentia vel naturae vitio oritur, qua qui laborant, jure Decretalium *Frigidi* vocantur; vel ex accidenti, quo qui affecti sunt, audiunt *Maleficiati*. Haec autem, si perpetua est et nuptias antecedat, illas semper irritas reddit. Quod si dijudicari nequeat, utrum perpetua sit, an temporaria, ad triennii experimentum veniendum est, quo elapso, venere infecta, connubium dirimitur, nisi conjuges velint tanquam fratres, et sorores cohabitare (2). Ceterum impotentia con-

---

(1) *Conc. Trid. Sess. XXIV. Ref. Matr. cap. 2.*
(2) *Cap. V. et VII. extr. de frigidis, et meleficialis.*

stare etiam debet ex juramento conjugum ipsorum, et septem propinquorum, quos Caelestinus III. *septimam manum* appellat. Quod si alteruter conjugum falsus deprehendatur, propterea quod aliud matrimonium contraxerit, redintegratis nuptiis prioribus, ad innocentem conjugem redire compellitur (1).

Si Parochi, aut duplicis desit praesentia testis.

XIX. Clandestina Matrimonia semper detestata est Ecclesia, at nunquam irrita esse sancivit. Nuptiarum Clandestinarum malo tempore insequente latius serpenti opportune occurrit Synodus Tridentina, et nuptias nullas esse voluit; nisi Parochus, aut alius, qui Parochi jussu Parochum ageret, et tres, aut duo saltem testes simul adessent (2). Hoc igitur impedimentum Concilio Tridentino acceptum referimus.

Raptave sit Mulier, nec parti reddita tutae.

XX. Cum raptus sit mulieris abductio per vim, et dolum facta, sive mulier invita est, sive ipsa consentit, invitis parentibus, in utraque Ecclesia receptum est, ut nuptiae inter raptam, et raptorem nunquam consisterent: etiamsi rapta, ejusque parentes dein consentirent. Verum a saeculo

---

(1) *Cap.* Laudabilem *6. de frig. et mal. et cap. 1. eodem.*

(2) *Sess. XXIV. Ref. Matr. cap. 1.*

decimo illud juris obtinere coepit, ut si raptori rapta consentiret, inter utrumque ratum esset conjugium (1). Demum Patres Tridentini ulterius progredientes voluere tum nuptias inter raptam, et raptorem valere, cum rapta a raptore separata, et tuto in loco constituta libere adsentitur.

XXI. Hactenus de impedimentis dirimentibus, nunc ad impedientia gradum faciamus oportet. Olim crimina quaevis publicae poenitentiae experimentis luenda impediebant, quominus nuptiae inirentur (2). Verum hujusmodi impedimenta jampridem exoleverunt, et quae nunc temporis vigent, praecipua sunt.

Ecclesiae vetitum.

Scilicet ubi Episcopus, vel Parochus prohibent, ne nuptiae ob dubium alicujus impedimenti detegenti contrahantur, usquedum veritas innotescat (3): vel ubi Concilia Lateranense, et Tridentinum jubent, ut nuptiæ sine sollemnibus proclamationibus, aut earumdem venia obtenta ineantur.

Tempus feriatum.

Hoc est clausum, quod quidem incipit ab Adventu Domini ad Epiphaniam usque; et a feria IV. Cinerum usque ad octavam Paschae expletam. Porro haec prohibitio sollemnem nuptiarum Hie-

(1) *Cap. 7. ex. de raptoribus.*
(2) *Can. V. et VIII. causs. XXXIII. Q. II. Can. XX. causs. XXXII. Q. 7.*
(3) *Cap. II. de Matrim. contrahendo.*

rologiam, earumque apparationes, minime vero ipsum nuptiarum contractum spectant.

Catechismus.

Scilicet Christianæ doctrinæ ignorantia (1).

Sponsalia.

Sponsalia enim prævia, sed non soluta, jus alteri ad futuras nuptias quaesiverunt. Ergo ne fides in re gravi alteri data violetur, Ecclesia voluit Sponsalia, ne nuptiae cum altera ineantur, impedire (2).

Votum.

Nempe simplex, quo quis se a connubio temperaturum esse obstrinxit. His addi possunt.

1.° Parentum dissensus.

2.° Probatio status liberi.

3.° Discussio cujuslibet impedimenti in judicium delati.

4.° Poenitentia publica ob grave aliquod delictum imposita. Itaque ergo qui his impedimentis illigatus nuptias init, peccabit quidem peccatum, sed nuptiæ subsistent.

---

(1) *Benedictus XIV. Bulla* Etsi minime.
(2) *Cap.* Ex litteris *X. extr. de Sponsalibus, et Matr.*

TITULUS XI.

De Divortiis, et secundis nuptiis.

I. Divortii nomine venit vinculi matrimonialis solutio, vivente utroque conjuge, facta. Dicitur autem Divortium vel a diversitate mentium; vel quia qui matrimonium dirimunt, in diversas partes abeunt: et distat a Repudio, quia illud fit inter virum, et uxorem; hoc vero tam sponsae a sponso, quam uxori a viro mittebatur (1). Verum jure Canonico Divortium, quod et vulgo dicitur Repudium, comprehendit non solum ipsam vinculi matrimonialis contracti solutionem, sed etiam separationem tori, et habitationis, vel ád tempus, vel in perpetuum, vinculo matrimoniali integro manente.

II. Et sane Divortia apud Gentes fere omnes recepta, et apud Judæos ob eorum pervicaciam tolerata, Christus abolevit, et matrimonium ad pristinam dignitatem restituit, eumque, qui uxorem dimiserit, nisi ob fornicationem, asseruit moechari; ει μη επι πορνεια (2). Nomine autem πορνειας ex nonnullis non solum adulterium proprie di-

(1) *L. 101. §. 1. de verb. signif.*
(2) *Matth. XIX. v. 3.*

ctum venit, sed etiam omne aliud gravissimum crimen, uti sunt Idololatria, Apostasia, Homicidium, Veneficium, aliaque. Sed Ecclesiae Patres, et Sacrarum rerum tractatores πορνείαν ad solum adulterium restringunt.

III. Jam vero gravior inde exarsit controversia, num scilicet separatio a Christo maritis ob πορνείαν concessa sit totalis, quae etiam concedat novas nuptias, an partialis, quae salvo matrimonii vinculo, vitæ tantum consuetudinem abrumpat. Porro ex Patribus Lactantius, Epiphanius, Basilius (1), nonnulla in Galliis coacta Concilia, Romani Imperatores non pauci, et Capitularia Regum Francorum per adulterium matrimonii vinculum abrumpi sentiunt, et novas nuptias iniri posse constituunt. Oppositam sententiam perpetua traditione custoditam in Ecclesia probavit Concilium Tridentinum, in eosque anathema torquet, qui asserunt Ecclesiam errare, dum docuit, et docet per adulterium matrimonii vinculum non dirimi (2). Etenim *quod Deus conjunxit, homo non separat* (3).

IV. Profecto apud ipsos Latinos non desunt justæ solvendi matrimonii causae; quarum aliae torum dumtaxat; aliæ torum simul, et habitationem; aliæ denique ipsum matrimonii vinculum spectant. Nos igitur has omnes causas breviter pro nostri instituti ratione expediamus oportet. A postremis incipiamus.

1.° Matrimonium inter Infideles juste initum,

---

(1) *Divin. Inst: lib. VI. cap. 23. Hæres. LIX. n. 4. Can. IX. ad Amphilochium.*

(2) *Sess. XXIV de Sacram. Matr. can. 7.*

(3) *Matth. XIX. v. 3.*

alterutro conjuge ad fidem converso, dirimatur. Infideli, antequam prior conjux jam Christianus novas nuptias inierit, ad fidem converso, matrimonium redintegretur. Conjuge infideli sine Creatoris contumelia cum fideli cupienti habitare, divortium non fiat, Apostolo auctore (1).

2.° Alterutro conjuge a Christiana fide deficiente, matrimonium non dirimatur.

3.° Alterutro conjuge vota sollemnia nuncupante, matrimonium ratum dissolvatur. Utroque conjuge mutuo consensu vota sollemnia profitente, tori, et habitationis divortium perpetuo fiat, et matrimonii vinculum non solvatur. Conjux, conjuge invito, neque religionem ingrediatur, neque voveat continentiam. Si contra hoc jus faxit, ad torum redeat, uxori debitum solvat, ipse jus omne amittat.

4.° Matrimonium ratum justam ob causam Romanum Pontificem posse dirimere Canonistæ tueantur.

5.° Conjux, conjuge adultero, quoad torum privata auctoritate; quoad habitationem judicis sententia divortium faxit. Marito adultero, aut uxorem prostituenti ab uxore adultera discedere jus non siet.

6.° Maritus uxorem adulteram dimittat, ne turpitudinis nullus patronus siet. Penes ipsum sine uxoris consensu vota sollemnia nuncupandi, vel sacros ordines suscipiendi potestas esto. Eidem post adulterium ab uxore admissum rei uxoriæ vacanti uxorem dimittere jus non esto.

7.° Maritus uxorem adulteram, et resipiscentem, caritate Christiana suadente, recipiat.

---

(1) *I. ad Corinth. c. VII. v. 13. et seqq.*

8.° Hæresis, Apostasia, Sævitia, aliudve gravius crimen, judice interveniente divortium faxint temporarium.

V. Secundæ nuptiæ dupliciter accipiuntur. Vel enim statum denotant, quo vir simul plures uxores habet; qui quidem status audit Polygamia: vel denotant secundas, aut tertias nuptias post primi, aut secundi conjugis mortem, aut justum divortium contractas. Num Polygamia juri naturali adversetur, alibi discutiendum relinquimus. Verum Christus Polygamiam prohibuit, et matrimonium ad primævam institutionem revocavit (1). Nuptiæ autem altero sensu acceptæ nusquam gentium interdictæ sunt, easque Ecclesia ex Apostoli doctrina magis firmavit, immo Montanistas, Novatianos, Catharos, qui in aliam sententiam iverunt, uti hæreticos damnavit: licet antiqui Patres eas veluti impuritatis, et incontinentiæ plenas traduxissent. Et hinc factum est, ut tam in veteri, quam in nova disciplina illis sacra benedictio denegetur (2).

---

(1) *Matth. XIX. v. 3.*

(2) *Conc. Neocæsar. can. 3. et Innocentius II. Epis. ad Victric. Rothomag. cap.* 9.

TITULUS XII.

De Sacrosanctis Ecclesiis, et Altaribus construendis, consecrandis, reparandis.

§. I. Ecclesiae vocabulum; ejus nomina?
II. Ecclesiæ varii generis?
III. Quæ veterum Ecclesiarum forma?
IV. Quæ olim partes interiores Ecclesiæ?
V. Quae vero partes exteriores?
VI. Quæ partes Ecclesiæ in nova disciplina?
VII. De Consecratione Ecclesiarum?
VIII. Qui ritus consecrandi Ecclesias?
IX. Ecclesiæ consecratio non repetenda!
X. Quæ Ecclesiarum reparatio.

I. Ecclesia Græcum nomen est ab εκκαλεειν, εκκαλειν evocare, et fidelium societatem tam in veteri, quam in novo testamento designat; sed per metonymiam locum denotat, in quo Christiani suos conventus agitant. Porro Elccesia hoc sensu accepta definiri solet: *Ædificium cultus divini peragendi gratia extructum, et sollemni ritu consecratum, vel saltem benedictum.* Ecclesiæ primis sæculis aliquando *Domus Dei, Domus orationis, Dominica, Oratoria, Concilia,* aliquando vero *Martyria, Apostolea, Propheteа* appellantur, quatenus reliquiis, memoria, aut sepulchro Martyris, Apostoli, Prophetae distinguuntur, nec erant amplæ, nec splendidæ. At pace a Constantino Christianis ubique parta, Ecclesiæ et Templa, et Basilicæ audiverunt. Erant enim Templa apud Ethnicos loca Diis sacra; Basilicae vero ædes amplissimæ in publicum usum extructæ, quæ, *superstitione prostrata,* in Ecclesias Christianas consecratæ sunt.

Adhuc extat Romæ magnificentissima Basilica S. Joannis in Laterano.

II. Porro Ecclesiæ aliæ sunt Cathedrales, aliæ Collegiatæ, aliæ Parochiales, aliæ Conventuales. Cathedralis Ecclesia, quæ et *Magna*, et *Matrix* dicitur, ea est, in qua Cathedra, et Episcopi sedes posita est, et communis totius Diœcesis Parochia habetur. Collegiata habet Canonicorum Collegium, sed Episcopali Cathedra destituitur. Parochialis Ecclesia est, in qua a Parocho sub Episcopo animarum curatio exercetur. Porro Parochiales Ecclesiæ aliæ sunt Matrices, et Baptisimales, aliæ Parochiales strictius sic dictæ; Ecclesia Parochialis, Matrix, et Baptisimalis, ipsa sola habet Baptisterium: hinc inferiorum Parochiarum incolæ ex ipsa Baptismum petunt, atque ipsi reverentiam debent. Conventuales denique Ecclesiæ sunt Monachorum, Regularium, aut Monialium Sacella, ab ipsorum conventu ita appellata. Ea antiquitus privata fuerint ipsorum Oratoria; deinceps in amplissima mutata sunt Templa. Huc referri possunt Cappellæ, seu privatæ ædes, aut in agris, aut in magnatuum domibus constructæ. Hujusmodi minores Ecclesiæ in usum familiæ ruri commorantis potissimum ædificatæ ab iis Cappellis longe distant, quæ intra domesticos parietes constructæ sunt, quæque altare tantum habent consecratum. Supra ceteras Cappellas eminent Cappellæ Regiæ, seu Palatinæ in regiis ædibus conditæ. Hujusmodi Cappellis adscripti Clerici nuncupati sunt Regii Cappellani, seu Palatini. Hi olim Episcopo Diœcesano suberant. Sed deinceps Palatini Clerici, quemadmodum et Cappellæ, ab Episcoporum jurisdictione exemti *Cappellano Majori*, qui et Palatii custos, et Archicappellanus dictus est, subjecti sunt.

III. In extruendis Ecclesiis curabant veteres, ut apta forma, et situ ponerentur. Et forma quidem erat oblonga navi similis; situs vero, ut Ecclesiæ introitus Occidentem, et sanctuarium Orientem spectaret (1). Verum forma, et situs iste usitatior quidem fuit; at non semper servatus. Et enim et quavis forma, et quocumque situ positas Ecclesias exhibent antiqua monumenta (2). Recentior Ecclesiæ disciplina oblongam formam plerumque retinet, et non raro etiam situm.

IV. Jam vero Ecclesiæ præsertim ampliores pluribus partibus constabant, quarum aliæ interiores sunt, et parietibus includuntur, aliæ vero exteriores. Ex veteri disciplina partes interiores ναρθηξ, narthex, seu ferula; ναος, seu navis; et βημα, seu sanctuarium.

1.° Narthex erat ædificium oblongum, angustum e transverso Ecclesiæ frontis sub ingressum constitutum: quo erant *Audientes*, sive Catechumeni, sive Poenitentes, Judæi, Gentiles, Hæretici, qui omnes et Missæ Catechumenorum interesse, et sacras conciones audire poterant.

2.° Post Narthecem sequebatur altera Ecclesiæ pars, seu navis. Hæc a Narthece repagulis ligneis separata erat, patebatque aditus in navem per quasdam portas. In hoc loco excipiebantur poenitentes, *Substrati* dicti; inde *Consistentes*; deinceps fideles, servata sexus, et ordinis distinctione. In navi autem erat *Ambo*, alio nomine *Pulpitum*, et *Tribunal* dictus. Ex ambone Episcopos, et Presbyteros olim conciones habuisse Cardinalis Bona adfirmat (3).

---

(1) *Constit. Apostol. lib. II. cap. 57.*
(2) *Walfrid. de Eccles. ritibus cap. 4.*
(3) *Lib. II. Rerum Liturg. cap. 6. n. 3.*

3.° Tertia Ecclesiæ pars erat Sanctuarium nave excelsius, ab eaque cancellis separatum, tempore Sacræ Liturgiæ Episcopo, Presbyteris, et Diaconis tantum patebat. Ex laicis uni Imperatori licebat eo loci intrare ad munera offerenda. Ista Sanctuarii religio et ordinem in Ecclesia fovebat, et rebus sacris majorem conciliabat reverentiam. In medio Sanctuario altare erat collocatum, quod Sacrificio peragendo inserviebat, quodque primis sæculis ex ligno, quarto vero sæculo, et deinceps lapidea, aut marmorea, et in magnis Ecclesiis auro, argentove inclusa. Pone Altare, qui locus *Apsis*, erant thronus Episcopi, et subsellia Presbyterorum. Porro quæcumque erat altaris structura, sic poni solebat, ut Sacerdos celebrans facie ad populum conversa staret. Altari imminebat *Ciborium*, quod erat turrita aedicula quatuor ad minimum columnis innixa, qua totum altare tegebatur. Ex columnis pendebant vela, seu cortinae, quae extra tempus Sacrificii altare operiebant; tempore vero oblationis trahebantur, ut altare, et Sacrificium ab omnibus videretur. In medio altari crux posita erat, et sub cruce pyxis, seu vasculum ad Eucharistiam pro infirmis continendam, cui usui in aliis Ecclesiis inserviebant columbae aureae, argentaeve in medio altari suspensae (1).

V. Extra Ecclesiam erant alia aedificia, quae ad ipsam Ecclesiam pertinebant. Et quidem.

1.° Ante fores Ecclesiæ erat vestibulum, ædificium scilicet quadratum, sed inferioris situs, quam Ecclesia, per quod aditus in ipsam patebat. Hujus aedificii medium sub dio erat, et atrium, sive

---

(1) *Grancolasius l'ancien Sacramentaire Part. 1. pag. 203. et seqq.*

impluvium efficiebat ; ex quatuor lateribus habebat porticus columnis suffultas. In medio atrio, seu impulvio erant aquae salientes, seu conchae ad abluendum ora, et manus. Unde mos derivasse videtur aquae lustralis, quae hodie quibusdam praecibus benedicta a fidelibus abhibetur.

2.° *Baptisterium*, aedificium nempe satis amplum, in quo erant aquarum receptacula ad dandum satis diebus baptismum, et in duas partes divisum, in quarum altera a Catechumenis fiebant abrenunciationes: in altera vero ablutio ipsa, et ritus comites peragebantur.

3.° Secretarium, Διακονικον a Græcis dictum, in quo sub Diaconorum cura vasa, indumenta sacra, aliaque hujusmodi servabantur.

4.° Pastophoria, quæ et generali nomine omnes exedræ veniebant, ab utroque Ecclesiæ latere ad Orientem extructa erant. In his erant bibliothecæ in Clericorum usum ab Episcopis collectæ: scholæ ad Clericos erudiendos positæ, quibus Seminaria successerunt: domus Clericorum, aliaque in usum Ecclesiasticum comparata aedificia.

VI. In nova disciplina, quæ sint Ecclesiæ partes tum interiores, tum exteriores, cuique notum, et apertum est.

VII. In Ecclesiis jam ædificatis sacra Mysteria ex veteri disciplina celebrari nequibant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano, aliove Episcopo, Episcopi Diœcesani mandato consecratio perageretur, vel Ecclesiæ saltem benedicerentur. Consecratio autem definiri potest: *Actus sacer, et sollemnis, quo Episcopus per varios ritus, et caerimonias Ecclesiam divino cultui addicit.* Consecratio Latinis dicitur *dedicatio*; Græcis vero εγκαινια. Verum consecratio cærimonias, quæ in addicenda

divino cultui Ecclesia adhibentur; dedicatio vero initiationem, primumque usum designat, ut Mazochius ostendit (1). Interim quousque Ecclesia consecretur, benedici potest per Presbyterum ab Episcopo delegatum; et ita etiam idonea evadit ad divina officia, et ad divinum Sacrificium, modo adsit altare ab Episcopos consecratum.

VIII. Dedicationes Ecclesiarum antiquissimæ sunt; et quarto sæculo sollemnibus ritibus, et magna pompa a pluribus Episcopis variis sermonibus, hymnis, et precibus peragebantur; et ritu Romano etiam Martyrum reliquiæ sub altari condebantur. Sed ex nova disciplina Ecclesiarum consecratio ita se habet. Etenim præcedit jejunium: et vesperæ coram reliquiis sub altari collocandis cantantur: Ecclesia exterius ter aqua, et sale benedictis aspergitur: interius in Ecclesiæ pavimento Græcum, et Latinum alphabetum describitur: altare peculiari ritu consecratur: item Ecclesia interius ter aqua, sale, cineribus, et vino benedictis lustratur; reliquiæ sub altari conduntur: parietes, et duodecim ibi depictæ cruces, et crux una in porta item depicta chrismate unguntur. Hi, aliique ritus varias preces, et ritus adjunctos, et interpositos habent. Ceterum dies Consecrationis inter annua festa Ecclesiarum celebratur (2).

IX. Ecclesia sollemni ritu consecrata, licet enormi crimine polluatur, iterum non debet consecrari: dummodo prudenti judicio eadem perseverat Ecclesia. Itaque Ecclesia polluta reconcilianda est, et quidem per Episcopum dumtaxat

---

(1) *De Camp. Amphith. et Epist. de dedic. sub ascia.*
(2) *Sozomenus lib. II. cap. 26.*

reconciliatur; idque per aquam vino, et cinere admixtam, et ab Episcopo prius benedictum, qua adspergillo ex hyssopi herba parato Ecclesia adspergitur non sine precum accessione. Verum non pauci Canonistæ reconciliationem ab Episcopo, ejusve Vicario Generali committi posse etiam Presbytero contendunt (1). Quod si Ecclesia sit tantum benedicta, polluatur, ex Episcopi jussu a simplici Presbytero reconciliari potest (2).

X. Jam vero extructæ Ecclesiæ identidem reficiendæ sunt, ut perpetuo maneant ad religionis exercitium. Et sane ex veteri disciplina multis in Ecclesiis Ecclesiastici proventus quatuor in partes, in aliis vero tres in partes tribuebantur, quarum una Ecclesiis reficiendis cedebat (3). Insequenti tempore institutis Ecclesiasticis Beneficiis, Beneficiarii suorum Beneficiorum Ecclesias reficere tenentur, nisi Ecclesia peculiares reditus fabricis addictos habeat. Quod si bona Ecclesiastica, demta frugali beneficiariorum sustentatione, minime sufficiant, et Ecclesia reparanda sit Paræcialis, tunc Paræciani Symbolam pro sua quisque religione conferre debent; cui juri consonum est Concilium Tridentinum (4). Demum si Cathedralis Eccelsia sarcienda sit, et nullos pro fabrica riditus habeat, Canonici, si Antistes cum frequentiori Capituli parte id constituerit, adigendi sunt (5).

---

(1) *Cabass. J. C. Theor. et prax. lib. V. cap. 21. n. 14.*
(2) *Benedictus XIV. de Syn. Dioec. lib. XIII. cap. 14.*
(3) *Thomass. de Benefic. Par. III. lib. II. cap. 13.*
(4) *Sess. XXI Ref. cap. 7.*
(5) *Cap. Fin. de iis, quae fiunt a majori parte Capituli.*

TITULUS XIII.

De asylo Ecclesiarum.

§. I. Asyla apud Judaeos, Græcos, et Romanos? | II. Asylum quoque in Ecclesiis Christianorum?

I. Asylum Graeca vox est, et locum Sanctum denotat, quo confugientes sine piaculo avellere non licet. Apud Græcos quidem templa, altaria, simulacra, luci sacri asyla erant, et confugientibus securitatem præstabant. Etenim hujusmodi loca Diis sacra humanarum rerum commercio eximi, et veluti in Deorum patrimonio constitui credebantur. Romæ vero præter Romuli asylum pauca templa, et sacella perfugii loca fuisse a viris doctis observatum est (1). Demum apud Judæos non solum asyla, sed urbes asyli constitutae sunt. Unum templum Hierosolymitanum asyli jure vacabat, ne homicidarum, aliorumque pessimo publico natorum hominum præsentia divinus cultus temeraretur.

II. Asylorum jure Christi Ecclesiae vel ab aetate Constantini M. donatae sunt. Quamvis enim prima, quae de hac re Imperialis sanctio occurrit, sit Imperatoris Theodosii Magni, tamen quia Theodosius illa Constitutione asyli modum definit, ipse primus Ecclesiasticum asylum non constituisse videtur. Arcadio, Theodosii filio, Eunuchi Eutropii hortatu, asyli privilegium abrogante, Joannes Chrysostomus in Eutropium gravem, et vehementem orationem habuit. Theodo-

(1) *Lipsius excurs. in lib. III. Annal. Taciti. c. 30.*

sius, Arcadii filius nova lege asyli limites coercet, et ad exteriora Ecclesiarum ædificia extendit, simulque addidit, ut si Episcopi debitores fugitivos protegere vellent, ipsi debita pro illis solverent. Mox Leo Imperator jussit debitores sive publicos, sive privatos ab Ecclesiarum asylis non esse avellendos, poena capitis in eos, qui hoc tentare audeant, constituta (1). Justinianus quoad publicos debitores Theodosianam sanctionem renovat, et dein homicidis, adulteris, virginúmque raptoribus asyli beneficium denegat (2). Carolus Magnus Justiniani legem adprobat, eamque ad omnes, qui legibus mori debent, extendit (3). Imperatoriis sanctionibus Pontificiae Decretales accesserunt, quibus localis Immunitas magis firmatur, et canonicae poenæ in immunitatis violatores intorquentur (4).

MANTISSA.

Jure Neapolitano localis Immunitas plenius definita fuit in pactis conventis inter Benedictum XIV. et Carolum Borbonium, quæ toto capite II. videsis.

---

(1) *L. VI. C. Justinian.*
(2) *Novel. XVII. c. 7.*
(3) *Lib. I. Capitular. cap. 22.*
(4) *Cap.* Inter alia *6. Cap.* Immunitatem *10. Cap.* Si quis *1. de Immun. Eccl. sias.*

TITULUS XIV.

De sepulturis.

I. Jam vero varii apud Ethnicos sepeliendi modi obtinuere. Ægyptii enim mortuos condiebant, domique servabant: aliae gentes integra corpora humabant: Graeci, et Romani cadavera cremabant, et cineres sepeliebant. Sub Imperatoribus vero crematio sensim desiit, et humatio recepta est.

II. Christiani ab primis usque temporibus unam humationem adhibuerunt; et loca, in quae cadavera inferebant, quae loca more apud Romanos jam usitato extra poemerium, et secus vias publicas erant, Coemiteria vocarunt. Id quod tum ex Romanis Coemiteriis, quorum tria circiter quadraginta, et quidem in Romae suburbanis recensot Baronius; tum ex Neapolitanis, quae tanquam Romanis nobiliora commendat Mabillonius (1), aperte colligitur.

III. Haec res apud Christianos non diu stetit, et sepultura in Ecclesiis permissa est. Et sane sæ-

(1) *Musae. Ital. tom. 1. pag. 14.*

culo IV. hic honos primum Martyribus tributus est. Eorum enim reliquiæ in urbes translatæ in Ecclesiis conditæ sunt: mox Imperatoribus sepultura in atriis Ecclesiarum concessa (1): tum VI. et VIII. saeculo Episcopis, Abbatibus, Presbyteris, et Laicis sanctimonia inclytis idem privilegium donatum (2). Demum saeculo IX. Episcoporum arbitrio relictum est decernere, quis qui in Ecclesiis sepeliretur, dignus esset. Cum porro Episcopi in hac venia danda paulo procliviores facti essent, laici promiscue in Ecclesiis sepulti sunt, et sepulchra familiaria, ac gentilitia sunt exorta Nihilominus Ecclesiæ semper eadem manet sententia, scilicet ut fidelium cadavera non in Ecclesiis, sed in Coemiteriis conderentur. Videsis Romanum Rituale Pauli V. jussu editum, in quo habes quoque peculiarem ritum Coemiteriorum consecrandorum.

IV. Profecto quisque in propria Parochia sepeliendus est. Et sane nunquam dubitatum, quin Parochialis Ecclesia, ejusve Coemiterium sit propria Parochianorum sepultura. Peregrini vero ea Parochia, qua mori contigerit, tumulandi sunt, modo apud suam Paræciam sepeliri nequeant (3).

V. Paraecialis sepultura cessat.

1.° In Monachis, Regularibus, et Novitiis, quibus monasterium est Parochia. Reliqui omnes, qui in monasteriis degunt, hoc privilegio non augentur.

2.° In Canonicis, qui in Ecclesia Cathedrali; in Cardinalibus, et Praelatis, qui in suis titu-

---

(1) *Eusebius in vita Constant. lib. IV. cap. 7.*
(2) *Concil. Moguntin. can. LII.*
(3) *Cap. 5. de Sepulturis in 6.*

lis; et in reliquis Beneficiariis, qui in suis Ecclsiis humantur.

3.° In mulieribus, quæ nisi sepulturam elegerint, cum suis viris sepeliuntur; quod si mulier non fuerit univira, in sepulchro ultimi viri sepeliatur oportet (1).

4.° In iis omnibus, qui majorum suorum habent sepulchra (2).

VI. Quibus casibus extra Parochiam sive in sepulchro familiari, sive in electa a se sepultura defuncti inhumentur, exequiæ in propria Parochia celebrandæ sunt. Jure enim sepulturæ extra Paræciam concesso, exequiæ Paræciali ecclesiæ reservatæ sunt, ut ita defuncti in precibus cum Ecclesia sua communicarent. Sane Summi Pontifices, dum jus sepeliendi *Mendicantibus* concesserunt, omnia jura Paræcialium Ecclesiarum integra esse voluerunt. Quare in Galliis, et Belgio obtinet, ut Clerus propriae Paræciae cadaver tollat, et ad Paraeciam deferat, ubi Missa pro defuncto peracta, Parochus cadaver tollit, exhibetque Superiori ejus loci, in quo vivus sibi sepulturam elegit. Verum in Italia cadavera alibi sepelienda ad Paraeciam Paræcus non defert, et antequam domo educantur per Parochum benedicenda sunt; nec sine eo ad sepulturae locum efferenda, quod et Sacra Congregatio rescripsit.

VII. Praeterea cum aliis inhumationis jus ex privilegio sit tributum, ex oblationibus sepulturae occasione illis Ecclesiis relictis pars aliqua Parochiae praestanda est, quae *quarta funeraria, seu Canonica* vulgo dicitur. Quamvis enim haec

---

(1) *Cap. 3. de Sepulturis in 6.*
(2) *Cap. 1. et 11. in 6.*

pars non sit ubique eadem, sed alibi *medietas*, alibi *tertia*, alibi *quarta*, semper tamen *quarta* nuncupatur. Ecclesia profecto ab exactione pro sepultura, quam uti Simoniam sapientem damnat, semper abhorruerit, tamen nunquam vetuit spontaneas oblationes vel ab ipsis defunctis relictas, vel ab heredibus collatas recipere (1). Ex his igitur oblationibus *quarta* illa deducenda est. Id quod intelligas velim de omnibus, et quibuscumque rebus *Fratribus* cujuscumque generis *Mendicantibus* relictis. Verum cum frequentes de hac re, tum ex parte laicorum, tum ex parte Clericorum, tum denique ex parte Mendicantium lites suborirentur, Episcoporum est, habita locorum, et personarum ratione, quemdam modum his oblationibus constituere, et quid quis juxta laudabilem consuetudinem offerre debeat, decernere.

VIII. Porro Ecclesiastica Sepultura uni Fideles, qui in Ecclesiae communione decedunt, donantur. Ergo his omnibus denegatur, quibus vivis communicare non licuit. Itaque Ecclesiastica sepultura privantur.

1.° Infideles, Judaei, Infantes sine baptismo mortui.

2.° Haeretici, Schismatici, Apostatae, et qui hoc nomine publice convicti, vel denunciati, Excommunicati, publici Clericorum percussores, et nominatim interdicti.

3.° Manifesti usurarii, nisi de restituendis usuris caverint, et usurarum poenituerint: et qui sibi mortem, nisi furore perciti, consciverint.

4.° Pugnantes in duello, eorumque patrini, li-

(1) *S. Gregor. M. lib. VII. Epist. 56.*

cet in duello occumbentes poenitentiae signa dederint (1).

5.° Qui praeceptum annuae Confessionis, et Paschalis communionis non impleverint (2).

6.° Monachi, et Regulares, apud quos pecu-lia inveniuntur (3).

7.° Raptores, ac Violatores Ecclesiarum, nisi de restituendis ablatis caverint (4), et ut paucis dicam omnes manifesti, et publici peccatores, qui sine poenitentia decedunt, Christiana sepultura, et precum fructu carent. Quod si quis contra Ecclesiae praeceptum in loco sacro tumuletur, et cadaver discerni possit, effodiendum est cadaver, et in locum profanum projiciendum (5).

TITULUS XV.

De monasteriis, hospitalibus, et laicorum confraternitatibus.

§. I. Monasterium quid?
II. Monasterium Episcopi consensu aedificatur?
III. Quid de Seminariis?
IV. Hospitalium origo apud Christianos!
V. Hospitalia omnia Episcopis subjecta?
VI. Inde ab Episcopi potestate exemta?

I. Jam de Ascetis, Monachis, et Regularibus satis libro I. titulo XXVIII.; nunc tantum de Mo-

(1) *Conc. Trid. sess. XXV. Ref. cap.* 19.
(2) *Cap.* Omnis utriusque sexus *de Poenit. et Remiss.*
(3) *Cap.* II. *et* VI. *de Statu Monach.*
(4) *Cap.* II. *Ex. de Raptorib.*
(5) *Cap.* XII. *Ex. de Sepultur.*

nasteriis, deque Episcoporum in monasteriis potestate agendum est. Itaque Monasterium ex veteri disciplina est locus in solitudinibus, aut in montibus constitutus, ubi homines distinctis cellulis communem vitam ad certam regulam exactam agunt, qui quidem locus proprie *Laura* dicebatur, cujus quandam speciem exhibent Camaldulensium Monasteria. Verumenimvero cum tractu temporis in civitatibus, aut prope eas Monasteria constitui coepissent, idque Basilius M. in urbibus Ponti, ut Monachorum opera contra Arianos uteretur, factitasset, et sequenti aetate etiam obtinuisset in Occidente, Monasterium definiri potest: *locus variis cellis, inferioribus, et superioribus secum invicem adjunctis constans, quibus adjacet menianum, quod omnibus euntibus commune est.*

II. Et sane ex veteri disciplina ubicumque Monasteria extruuntur, Episcopi Dioecesani auctoritate opus est. *Nullum*, ait Synodus Chalcedonensis (1) *quidem usquam aedificare, aut construere Monasterium praeter consensum Episcopi civitatis.* Quare ex nova disciplina Episcopis plura cavenda sunt.

1.° Ut nullum de novo Monasterium erigatur, nisi prius advocentur, et audiantur Priores, et Procuratores Conventuum eo loci existentium, et Conventuum per quatuor millia passuum circumjacentium (2).

2.° Ut nullum Monasterium cujuscumque Instituti aedificari sinant, nisi ibidem duodecim

---

(1) *Can. III. et Trid. Sess. XXV. de Reg. cap.* 3.

(2) *Clemens VIII. Bulla* Quoniam ad Instituta, *et Gregorius XV. Bulla* Cum alias.

*

saltem, aut ex reditibus, aut ex eleemosynis vivere possint.

3.° Ut Parochus loci audiatur, ejusque consensus exquiratur.

4.° Ut Monialium monasteria extra Urbis, aut Oppidi mœnia non collocentur; et si extra urbium frequentiam posita sunt, in urbes, aut oppida omnino reducantur (1).

III. Seminariorum institutionem in Ecclesia antiquissimam esse ex Toletanis Conciliis constat (2). Sequiori ætate cum Clerici aut in Monachorum Scholis, aut in publicis Academiis scientias, ac litteras erudirentur, frequens eorum memoria non occurrit. Sane Reginaldus Cardinalis Polus, agente Regina Maria, Enrici VIII. ex Catharina Aragonia filia, ut Anglicano Clero, cui anno MDLVI. præfectus erat, suppetias ferret, Seminaria erigere, ibique juniores Clericos educari statuerat (3). Res in Anglia infecta, Patribus Tridentinis felicius adrisit, et Seminaria universæ Religionis Christianæ bono, in singulis ferme Cathedralibus erecta suspiciuntur. Quinimo sæpe laudati Patres Tridentini Seminariorum formam, et regimen præscripserunt, et potestatem Episcopis fecerunt eisdem conjungendi *beneficia aliquot simplicia cujuscunque qualitatis, et dignitatis fuerint, etiamsi beneficia sint reservata, vel adfecta* (4). Utinam omnes hanc sibi curam potissimum darent Episcopi. Cer-

---

(1) *Conc. Trid. Sess. XXIV. Ref. cap. 5.*
(2) *Tolet. II. cap. 1. an. 531. et Tolet. IV. cap. 23. an. 633.*
(3) *Bened. XIV. De Synod. Dioec. lib. V. cap. XI.*
(4) *Sess. XXIII. Ref. cap. 18.*

te ex Seminario Clerus, ex Clero populus ingenium, et mores induit.

IV. Hospitalia, Græce ξενοδοχεια, *xenodochia* proprie sunt, ædes ad hospites, et peregrinos excipiendos; at passim eo nomine veniunt loca quælibet recipiendis, et alendis pauperibus, infirmis, aliisque miseris, qui aliena ope indigent, destinata. Porro Hospitalium origo ab unis Christianis moribus repetenda est. Et sane quarto Ecclesiæ sæculo per orbem Romanum Hospitalia excitata esse testes sunt Basilius, Gregorius Nazianzenus (1), et Hieronymus (2). Octavo, et sequentibus sæculis omnia ferme Monachorum, et Canonicorum Monasteria ædes ad excipiendos pauperes, infirmos, peregrinos habuerunt adnexas, et Christianorum pietas multa ejus generis diversoria fundavit: et præterea ad hoc pietatis opus non solum Equestres, uti nos libro I. titulo XXVIII. n. VIII. innuimus, sed etiam Religiosi Ordines instituti leguntur.

V. Hospitalium, aliorumque piorum locorum regimen Episcopis adserit Synodus Chalcedonensis (3). Episcopi vero hospitalibus domibus Diaconos præficiebant; unde Hospitalia aliquando Diaconiæ audiverunt. Hanc in Hospitalia potestatem in Episcopis agnoverunt Christiani Imperatores; hanc suis legibus firmavit Justinianus (4), hanc in suis Capitularibus penitus muniverunt Francorum Reges. Nihil vero intererat, Clericine, an Laici domos istas procurarent, an a Clericis,

---

(1) *Orat. XX.*
(2) *Epitaph. Fabiolae.*
(3) *Can. VII.*
(4) *Novell. CXXIII. cap. 23.*

vel Laicis domus istæ essent extructæ. Semper enim erant in Episcopi potestate.

VI. At labentibus annis domus Hospitales partim in totum, partim in temporalibus tantum Episcoporum potestatem excusserunt. Porro immunitatem hanc ambierunt hospitalium Rectores, ut liberius in hospitalium bona incumberent. Huic incommodo majori studio occurrere visa sunt Concilia, Viennense scilicet (1), et Tridentinum (2).

Mantissa.

Decreta Tridentina in Regno Neapolitano non recepta frequentes inter Clericos, et Laicos controversias moverunt; donec anno MDCCXLI. foedere inter Benedictum XIV., et Carolum Borbonium inito certum jus constitutum est. Concordatum adesis cap. V. n.° I. et seqq.

De Confraternitatibus Laicorum videsis idem caput V. Concordati Carolini, et Benedictini.

---

(1) *Clement. 11. de relig. domib.*

(2) *Sess. VII. Ref. cap. 15. et Sess. XXII. Ref cap. 8.*

TITULUS XVI.

De Bonorum Ecclesiasticorum Origine, Adquisitione, et Alienatione.

I. Ecclesia per tria priora sæcula cum ex juris civilis sententia illicitis collegiis accenseretur, res immobiles neque per donationes, neque per hæreditates adquirere potuit: atque adeo nihil ferme possedit, sed tantum quæ fideles pro sua pietate offerebant, uti frumentum, vinum, oleum, vestes pro pauperibus, et pecunia, qua ad victum necessaria parabatur (1). Sed parta Christianis pace a Constantino M., Ecclesiæ bona immobilia possidere cæperunt. Extat duplex Constantini Imperatoris edictum, quo Ecclesiis domus, possessiones, agri, horti, quibus eas persecutionum furor spoliaverat, restituti sunt (2). Etenim in summa illa, et longa Imperii confusione post Valeriani Imperatoris captivitatem continuata, leges civiles siluerunt, atque ita facile fuit Ecclesiis nonnullos fundos adquirere.

(1) *Justinus Apolog. 1. et Tertull. Apologet. cap. 39.*
(2) *Euseb. lib. x. cap. 5., et lib. 11. de vita Const. cap. 37.*

II. Profecto Constantinus rerum potitus, pacemque concilians Christianis non solum Ecclesiam inter legitima collegia recensuit, sed etiam eidem jus dedit adquirendi ex testamento sive hæreditates, sive legata (1). Mox per Honorii legem in Ecclesias, quæ bona Hæretici suis conventiculis dederunt, translata sunt (2). In Romano Imperio legi a Constantino pro Ecclesiis latæ sua fere semper vis constitit. Et Reges, qui ex Imperii ruinis nova in Occidente regna constituerunt, eandem legem firmavere. Verumenimvero Ecclesia, ne quis ex tot sibi factis privilegiis aliquid detrimenti caperet, hæreditates in filiorum præjudicium relictas repudiavit. *Quicunque vult*, inquit Augustinus (3) *exhaeredato filio heredem facere Ecclesiam, quaerat alterum, qui suscipiat, non Augustinum; imo, Deo propitio, neminem inveniet.*

III. Olim in commune Ecclesiæ Principis ærarium reditus omnes confluentes jussu, et auctoritate Episcopi administrabantur (4). Verum procuratio ista Episcopis demandata hominum detractioni erat obnoxia. Hinc Archidiaconus, vel Œconomus testes, et coadjutores Episcopo procuranti accesserunt, qui in Synodo Provinciali administrationis rationes reddebat. Porro hæc omnia, ubi Ecclesiis Parochialibus certi reditus sunt adscri-

---

(1) *L. I. C. de Sacros. Eccles.*
(2) *L. LII. C. Theod. de Haeret.*
(3) *Serm. XLIX. de diversis, et Possid. vita August. cap. XXIV.*
(4) *Cyprian. Epist. XXXVIII. al. XLI. Can. Apost. XXXI. Conc. Gangrense can. VII. Conc. Antioch. cap. XXIV.*

pti, et singula beneficia Ecclesiastica instituta, paulatim exolevere.

IV. Res ita se habebat, ubi Episcopus in vivis agebat. At vacante Episcopali sede, tam Ecclesiæ regimen, quam Ecclesiastici ærarii procuratio ad Presbyterium devolvebatur. Porro cum vacantium Ecclesiarum bona mediis sæculis diriperentur, Reges Ecclesiasticæ disciplinæ vindices eorum custodiam susceperunt. Inde sensim invaluit, ut Ecclesiarum vacantium bona regio ærario addicta in publicam utilitatem erogarentur. Id jus, ubi jura Regalia beneficiis adnexa sunt, ordinarium evasit. Isthæc regalia a feudis fortasse derivata sub Callixto II. suam firmitatem acceperunt. Ea enim tempestate sublatis per annulum, et baculum *Investituris*, Prælatis concessa sunt feuda *clausula adjecta*, *ut facerent, quae ex regalibus deberent.* Ita reditus feudorum, vacante Ecclesia, in regium ærarium illati sunt, quibus accesserunt ceteri Ecclesiarum, et beneficiorum vacantium proventus, ubi vel ex fundatione, vel ex antiqua consuetudine hujusmodi jus quæsitum est (1).

MANTISSA.

In utriusque Siciliae Regno res olim eodem modo se habuit: mox collectores, et subcollectores Apostolici sub Andegavensibus Regibus, et deinceps apparuerunt: dein Œconomi regii, et Mons Frumentarius, usque ad novissima pacta conventa inter Pium VII. et Ferdinandum I. Consule Concordatum art. XVII.

---

(1) *Cap.* Generali *13. de Elect. in 6.*

V. Alienationis nomine quaelibet dominii translatio quovis titulo facta designatur; ut venditio, donatio, permutatio, emphyteusis, ususfructus, locationes ad longum tempus, seu ultra triennium, transactiones, pignora, hypothecae, et quidquid res, reditusque Ecclesiasticos imminuat. Sed postquam Ecclesia bona immobilia adepta est, Canones conditi sunt, quibus bonorum Ecclesiasticorum alienatio interdicitur (1). Hanc sanctionem pro Ecclesia Constantinopolitana Leo, et Anastasius (2), pro reliquis vero Ecclesiis Justinianus confirmarunt (3). Quod adeo verum est, ut ipsis Romanis Pontificibus id juris in res Ecclesiae non sit, et ipsi Episcopi sacramento in Ordinatione edito de rebus Ecclesiae non alienandis diserte caveant (4).

VI. Quamvis per Sacros Canones quaevis alienatio sit vetita, non desunt tamen casus, quibus res Ecclesiae alienari licet: iique tres sunt: necessitas scilicet, utilitas, et pietas. Duas porro priores causas Clementina 1.ª de rebus Ecclesiae non alienandis, et Justiniani Novella CXX. sancitas reperies: de tertia audire haud piget S. Ambrosium (5): *Aurum Ecclesia habet non ut servet, sed ut eroget in necessitatibus.... Nonne Dominus dicturus est, cur passus es tot inopes fame emori! et certe habebas aurum, unde alimo-*

---

(1) *Can.* XXXIX. *Cod. Afric. Canones Causs.* XII. *Q. II. a Gratiano relati. Cyrill. Alexan. Ep. ad Domnum.*

(2) *L.* XIV. *et* XV. *de Sacros. Eccl.*

(3) *Novell.* VII. *et Novell.* CXX.

(4) *Cap.* Ut super. VIII. *de non alien. reb. Eccl.*

(5) *De Offic. lib.* II. *cap.* 28.

niam ministrasses? Cur tot captivi deducti in commercio sunt? nec redemti ab hoste occisi sunt. Melius fuerat, ut vasa viventium conservares, quam metallorum. His non posset responsum referri. Quid enim diceres? Timui, ne templo Dei ornatus deesset. Responderet; aurum Sacramenta non quaerunt; nec auro placent, quae auro non emuntur. In his tribus generibus vasa Ecclesiae etiam initiata confringere, conflare, vendere licet. O Ambrosii sententia omni contra non cara? In eandem sententiam iverunt Augustinus, Cyrillus Hierosolymitanus, aliique Patres (1).

VII. Ecclesiasticarum rerum alienationes ex legitima causa factae tum ratae erant, cum sollemnibus per Canones praescriptis celebrantur. Itaque ergo ubi res alienanda est, alienatio ex totius Cleri tractatu, consensu, et subscriptione, atque Episcopi auctoritate est decernenda. Nomine Cleri venit Capitulum Cathedrale, vel Ecclesia Collegiata, cujus bona alienanda sunt: in Monasteriis vero Cleri vicem gerit Monachorum conventus. Igitur de more indicitur Capitulum, in quo de legitima alienationis causa tractatur; inde exquiritur consensus, qui ex majori parte censetur. Tractatus, et consensus reducitur in Scripturam, cui omnes subscribant: quibus omnibus accedit Antistitis auctoritas. Sed Pauli II. Extravaganti Constitutione alienationes rerum Ecclesiasticarum, inconsulto Romano Pontifice, fieri prohibentur; et gravissima in prædictæ constitu-

---

(4) *Possidius Vita August. cap. 24. Socrat. lib. VII. cap. 21. Victor. Utic. de Bello Vandal. lib. 1. Biblioth. PP. Tom. VII. pag. 591.*

tionis violatores pœnæ infliguntur (1). Verum terrulæ minus utiles; res, quæ servando servari non possunt; quæ in Emphyteusim dari consueverunt, et Parochialis Ecclesiæ bona, unius Episcopi auctoritate recte alienantur.

TITULUS XVII.

De Oblationibus, Decimis, et Primitiis.

§. I.	Oblatio quid?	V.	Decimarum species?
II.	Oblationes varii generis?	VI.	Cui Ecclesiae debentur Decimae?
III.	Oblationes versae sunt in pias consuetudines?	VII.	Exemtio a Decimis!
IV.	Quid Decimae!	VIII.	Primitiae quae?

I. Oblationis nomine generatim venit alicujus rei non petitæ spontanea largitio; quæ si homini fiat, donatio; si autem Deo, proprie oblatio dicitur. Cum enim Deo, omnium rerum domino nihil dari queat, veteres eam largitionem oblationem vocare maluerunt. Et quamvis Oblationes sint res omnes sive mobiles, sive soli, tamen in præsenti causa oblationis vocem strictius accipimus, quatenus denotat res mobiles, et munera, quæ Ecclesiæ extra Sacrificium, et quæ altari intra Missarum sollemnia inferebantur.

II. Jam vero Oblationum aliæ altari pro Sacrificio inferebantur; aliæ Episcopi domum portabantur; aliæ pro defunctis, et reliquis Ecclesiasticis functionibus dabantur. Ad altare mos fuit panem præcipue, et vinum deferri, Eucharistiæ

---

(1) *Extrav.* Ambitiosae *de reb. Eccl. non alien.*

scilicet elementa: attamen non rejiciebantur novæ spicæ, uvæ, et oleum. Quæ vero extra Sacrificium fiebant, vel Episcopi ædes, vel in gazophylacium deferebantur: idque ab Apostolorum ætate ad sæculum usque tertium ubique servatum est. Denique pro mortuis, in Sacramentis suscipiendis, in Ecclesiarum dedicationibus, aliisque sacris functionibus frequentes oblationes fiebant.

III. Porro lapsu temporis, Eucharistica communione rarius accepta, rariores evaserunt oblationes; et hinc loco panis, et vini denarios obtulerunt, ex quibus Missarum stipendia originem ducunt. Etenim cum omnis oblatio in Missa desuesceret, qui pro se, tanquam præcipuo Offerente, Missam celebrari vellet, id, oblato denario, a Sacerdote postulabat (1). Oblationes vero, quae extra altare, et Sacrificium fiebant, in pias consuetudines abierunt. Sane post saeculum X. Paraeciarum bonis, ipsisque decimis in Laicos, Monachos, et Canonicos translatis, cum Clericis nihil reliqui esset, facile factum est, ut piae pro mortuis, Sacramentis suscipiendis, aliisque functionibus offerendi consuetudines in necessitatem quandam converterentur. Videtur vero Ecclesia in necessitatem vertisse pias offerendi consuetudines ob duritiem cordis eorum, qui bona Paraeciarum possidentes, induci non potuerunt ad plenam Parochi sustentationem adsignandam. Ceterum cum Paraeciales Ecclesiae bonis auctae essent, optandum foret, ut hujusmodi piae consuetudines, aut prorsus aboleantur, aut parce admodum petantur (2).

(1) *S. Pet. Damiani lib. 1. Epist. 15.*
(2) *Christ. Lupus diss. de Simonia cap. VII. tom. 4. oper.*

IV. In sacro veteris Codicis foedere Decimas, quas Abrahamus, Jacobus, aliique persolverunt, Moses ante pacificam promissae terrae adeptionem ab Istraelitis persolvendas sancivit (1). Decimarum solutionem ea ratione, qua divini cultus ministri sustendandi sunt, jure naturali deberi post S. Thomam agnoscunt Theologi, et Canonistae. Huic autem praestationi Decimarum nomen factum est, quod decimae jure novo decimam partem continent, quae ex omnibus fructibus rerum sive mobilium, sive immobilium, et ex quacunque honesta negotiatione detrahitur (2). Porro eo nomine non semper venit decima pars, sed aliquando duodecima, aliquando decima quinta, et alicubi etiam vicesima, vel tricesima.

V. Sunt autem Decimae vel praediales, vel personales, vel mixtae.

1.° Praediales ex fructibus praediorum detrahuntur, sive rustica sint praedia, sive urbana (3). Porro hae Decimae rursus vel majores sunt, vel minores, vel novales. Majores ex grano, vino, fœno, aliisque; minores ex leguminibus, et oleribus; novales ex agris recens excultis debentur.

2.° Personales ex propria arte, vel professione deducuntur (4).

3.° Mixtae denique debentur ex fructibus, qui ex praediis, et industria proveniunt, cujusmodi sunt, quos ex gregibus, vel armentis industria nostra percipimus.

---

(1) *Genes. XIV. v. 20. et XXVIII. v. 22. Levit. XXVI. v. 30.*

(2) *Cap.* Non est. 22. *de Decimis.*

(3) *Cap.* Ex parte 21. *de Dec.*

(4) *Cap.* Ad Apostolicae *de Dec.*

4.° Personales Decimae in eo a praedialibus differunt, quod praediales, statim atque fructus collecti sunt, nullis deductis expensis debentur; et illis Parochiis præstantur, intra quorum fines posita sunt praedia. Personales, deductis expensis, illi Parochiae redduntur, in qua percipiuntur Sacramenta. Demum mixtae, detractis expensis, debentur illis Paraeciis, ubi armenta pascuntur.

VI. Decimæ jure antiquo, et communi unis Parochis redduntur; contra quas quadraginta annorum possessione praescribitur; dummodo titulus adsit, vel titulo deficiente, possessio immemorabilis (1).

VII. Jam vero a personalibus Decimis pedetentim induci cœpta est immunitas, atque eo facilius, quod cum subducendae essent impensae, saepe parum lucri superesset. Mixtae multis in locis prorsus exoleverunt: uti et praediales, eo praesertim tempore, quo Parochis optio proposita est, ut vel decimas eligerent, vel congruam portionem. Ast ubi Parochi congrua portione destituti sunt, congruae defectus ex decimis supplendus est.

VIII. Praeter Oblationes, et Decimas etiam Primitiae inter Ecclesiasticos reditus relatae sunt. Porro Primitiarum nomine veniunt primi fructus, quos fert tellus. Ipsius enim naturae vox est, gratias Deo agendas pro tot bonis, quae in nos quotidie e terra dimanant. Hoc antiquissimi instituti est et apud Gentes, et apud Judaeos recepti; et multum ante decimas usus Primitiarum apud Christianos invaluit, et receptus est. Ad

---

(1) *Cap. 4: et 6. de Praescriptionibus.*

rem Irenaeus: *Offerre igitur oportet Deo primitias ejus creaturae* (1). Verum praeter novas spicas, et uvas ad Sacrificium adhibenda nihil aliud nomine Primitiarum ad altare offerre licuit. Cetera Episcopi domum ad ministrorum sustentationem deferebantur (2). Primitiae cum diu in Ecclesia stetissent, tractu temporis adeo in desuetudinem abierunt, ut saeculo v. illarum vestigia vix inveneris; et si hodie alicubi exiguntur, receptis moribus standum est (3).

TITULUS XVIII.

De Beneficiorum origine, definitione, et divisione.

§. I. Beneficii vocabulum, et Beneficiorum origo?
II. Beneficii definitio?
III. Quotuplicis generis Beneficia?

I. Jam vero sexto fere saeculo voces, Beneficium, et Praebenda ex armata in sacram militiam invecta videntur. Et sane quaecumque Magistratibus, Legatis, Militibus, hospitii gratia ministrabantur, Præbenda neutro genere apud Latinos dicta sunt. Non absimili ratione Praebendae vocabulum apud nos primum sportulas quotidianas fratribus sportulantibus dari consuetas denotavit; postea reditus designavit Canonicorum officiis perpetuo addictos. Ceterum licet

---

(1) *Lib. IV. cap. 34.*
(2) *Can. Apost. VI.*
(3) *S. Thomas II. II. Q. 8. art. 4.*

haec vera sint, non omnes tamen Canonici Praebendarii sunt. Potest enim quis Canonicus esse, et vacaturam Praebendam expectare. Beneficium vero praeter ceteras significationes praedia denotabat, quae utenda fruenda ex publico aerario illi accipiebant, quos Magistratus e provinciis reversi Reipublicae commendabant. Itaque non improprie in jure nostro Ecclesia praedia quaedam, quae Clericis ob strenuam rei Christianae operam ab ipsis navatam ad vitam utenda fruenda dabat, Beneficia vocavit. En beneficiorum origo, licet beneficii vocabulum nondum sit usurpatum: et beneficia potius jure personali, quam jure tituli Clericis data, quibus decedentibus Ecclesia sua praedia recuperabat (1). Deinde ubi certi reditus singulis ministeriis, praesertim Parochialibus fuerunt addicti, beneficia, mortuo Clerico, non amplius ad Ecclesiae aerarium revertuntur, sed Clerico in officium successori dantur: et hinc etiam factum est, ut Ecclesiasticum ministerium, sive titulus esset, tanquam principale; jus vero fructuum percipiendorum, veluti accessorium haberetur.

II. Beneficium autem recte definiri potest. *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae Clerico datum, propter officium spirituale Ecclesiae auctoritate constitutum.*

Dicitur 1.° Jus perpetuum, hoc est, vitalitium debet esse beneficium, perpetuum vero, quia successorem beneficiarium repræsentat, qui suo obitu hoc jus ad successorem transmittit: id quod locum non habet in pensione. Hinc Clericus quoad

---

(1) *Thomass. P. III. lib. II. cap. 16.*

vixerit, illo jure spoliari nequit, nisi aut ipse se jure illo abdicet, aut ei ob crimen jus illud auferatur.

Dicitur 2.° *Percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae*, nimirum ex bonis Ecclesiæ immobilibus, aliisque bonis, de quibus titulo antecedenti.

Dicitur 3.° *Propter officium spirituale.* Beneficia enim Ecclesiastica non ut officii pretium, sed ut alimentum Clericis conferuntur ex primæva disciplina, qua per Episcopos Clericis alimenta suppeditabantur. Additur vero *Spirituale*, ut intelligatur Clericos in Ecclesiis servitium jugiter impendere debere, uti loquitur Innocentius III. (1). Hujus generis servitia sunt Sacramentorum administratio, Missarum celebratio, aliæque sacrae functiones, quibus ex veteri disciplina beneficiarii omnes adstringuntur. Hinc veritate longe illi aberrant, qui officium, propter quod datur Beneficium, censent esse Canonicarum horarum recitationem juxta illud effatum: *Beneficium propter Officium.* At quoniam a saeculo XI. non paucis Beneficiariis conferri coeptum est beneficia nullum Ecclesiasticum ministerium adnexum habentia, quæ beneficia simplicia audiunt, una tantum horarum Canonicarum recitatio in iisdem requiritur.

Dicitur 4.° *Auctoritate Ecclesiae constitutum.* Etenim apud omnes juris Canonici interpretes compertum est, beneficium non censeri, nisi Episcopi auctoritate res profana, adhibitis de jure sollemniis, in titulum Beneficii erigatur. Quamobrem *Legata Pia, et Laicales Cappellaniae* inter beneficia

---

(1) *Lib. 1. Epist. 82.*

Ecclesiastica non censentur, etsi ex fundatoris voluntate in perpetuum concedantur. Proinde Patroni ipsi possunt bona administrare, et officium fungi per idoneas personas, nisi fundator ipse bonorum administratorem Cappellanum ipsum designaverit.

III. Jam vero. 1.° Beneficia alia majora sunt, alia minora. Majora sunt, quibus primi in Ecclesia gradus adhærent cum animarum cura, et jurisdictione. Hujusmodi sunt Papatus, Episcopatus, Cardinalatus, Abbatiæ, quibus quasi Episcopalis jurisdictio inest. Illud autem apud Canonistas receptum est, beneficia majora nomine beneficii non contineri. At minora beneficia dicuntur reliqua omnia infra Abbatias, inter quae censentur monastica officia, quibus certi reditus addicti sunt. Ceterum illud certi juris est, in rebus *odiosis* beneficiorum nomine Dignitates, et Personatus non contineri: immo ipsi Canonicatus, licet beneficiis simplicibus adnumerentur, tamen in rebus *odiosis* simplicium beneficiorum nomine non comprehenduntur; quippe quae ad Dignitates proxime accedunt (1).

2.° Beneficia alia *Curata* sunt, alia Simplicia. Illis publica animarum curatio inest, cujusmodi est Paræcia; his animarum curatio non inest, ut Canonicatus, Cappellæ, quibus qui præest, *Rectoris* nomen habet, et quae in neutro foro animarum curam habent. Rursus beneficia curata alia sunt proprie Curata, et tantummodo internum conscientiae forum spectant, alia vero forum externum, sive contentiosum respiciunt, et aptius duplicia nuncupantur.

---

(1) *Cap.* Statutum *11. de Rescrip. in 6.*

*

3.° Cum simplicis beneficii nomen aliquando beneficium, quod ad residendum non obligat, significet, alia hinc emersit Beneficiorum divisio, in Residentiaria scilicet, seu assidua, et Simplicia.

4.° Præterea Beneficia vel Saecularia sunt, vel Regularia. Illa saecularibus Clericis cedunt, hæc per Monachos administrantur. Hujus generis sunt monastica quædam officia, ut Prioratus, et Abbatiae, quibus certi reditus fuerunt adscripti. Haec divisio sero in Ecclesia audita est. Antiquitus enim Claustrales Regularium Praefecturae erant ἁπλῶς officia, quae postea in Dignitates, et Beneficia degenerarunt. Ceterum omnia Beneficia Saecularia præsumuntur, nisi contrarium domonstretur.

5°. Beneficia in Commendata, de quibus inferius, et in Titulum dispescuntur.

6.° Postremo Beneficia, alia sunt Collativa, seu *liberae Collationis*; alia *Electïva*; alia *Patronata*. Electiva sunt, quae iis ab Ordinario conferri debent, qui a Collegio electi sunt: ea iterum duplicis sunt generis; alia ***Electiva confirmativa***, quae Ordinarii confirmatione indigent; alia vero hujusmodi confirmatione non egent, et ipsa electione conferuntur. Collativa sunt, quae Ordinarii arbitrio dantur. Patronata ex Patronorum praesentatione impertiuntur.

7.° Dènique Beneficia vel sunt Reservata, et affecta; vel non Reservata, de quibus infra fusius.

TITULUS XIX.

De beneficiorum pluralitate.

I. Clericum duabus simul Ecclesiis adscribi prohibuerunt Canones Chalcedonenses (1). Chalcedonensibus Canonibus consonant Nicaeni, Aurelianenses, Epaonenses, aliique. Id enim negotiationem, et turpe lucrum olet, et ab Ecclesiae moribus est prorsus alienum (2). Disjunctis porro ab Ordinatione beneficiis eadem disciplina stetit. Equidem Beneficium datur propter Officium, quod per se quisque debet implere; atque in eadem Ecclesia, multo magis vetatur quis plura habere beneficia.

II. Lapsa post sæculum VIII. in Occidente disciplina, Clerici turpi quaestu abrepti, pluribus beneficiis inhiare caeperunt; et Petri Blesensis aetate non pauci fuere, qui vix Ecclesiarum suarum numerum cognoscerent, et Alexander III. abusum hujusmodi in Ecclesia Gallicana emendari non posse pronunciavit. Huic tanto malo reparando medicas manus adhibere satagerunt et sub Alexandro III. et sub Innocentio item III. Patres Lateranenses (3). Verum quis crederet? Post ipsa

(1) *Can. 10.*
(2) *Conc. Nicaen. 11. 15.*
(3) *Cap.* Præterea *14. de Praebendis*

Lateranensia decreta. Beneficiorum coacervatio altiores radices egit. Etenim cum in decreto Innocentii III. adjectum esset *circa sublimes tamen, et litteratas personas, quae majoribus beneficiis sunt honorandae, cum ratio postulaverit, per sedem Apostolicam poterit dispensari* (1). Ob hanc clausulam Lateranensi decreto adjectam frequentiores dispensationes ipsam Ecclesiasticam regulam perdiderunt. Quare Tridentini Patres malum radicitus eradicare cupientes, renovato Canone Concilii Lateranensis IV., plures Paræcias, aut alia singularia beneficia obtineri vetuerunt, rejectis prorsus titulis *unionis ad vitam*, *et Commendae perpetuae* (2), et unum dumtaxat Ecclesiasticum beneficium singulis conferri jubent. Quod si unum ad vitam Beneficiarii sustentandam non sufficiat, aliud simplex beneficium coacervari sinunt, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat (3). Ergo ipsi Tridentini Patres beneficia ipsa simplicia *Incompatibilia* pronunciarunt, modo alendo Clerico satis forent.

III. Atque inde jure Tridentino vides aliam exortam esse beneficiorum divisionem: alia scilicet *Compatibilia* esse, alia *Incompatibilia*. Primi generis sunt omnia simplicia benificia. Secundi generis vero sunt, quae simul retinere fas non est; uti sunt duae Parochiae, vel Parochia, et Canonicatus sub diverso tecto. Assiduitas enim servitii a Beneficiariis hujusmodi praestanda non patitur hoc. Rursus Beneficia *Incompatibilia* alia ejus

---

(1) *Cap.* de Multa *14. de Praeb.*
(2) *Sess. VII. Ref. cap. 4.*
(3) *Sess. XXV. Ref. cap. 17.*

naturae sunt, ut unum per acceptionem alterius ipso jure vacet, veluti duo beneficia Curata, vel duae Dignitates. Alia vero ita natura sua *Incompatibilia* sunt, ut primum per secundi Beneficii adeptionem non ipso jure vacet, etsi simul retineri non possint; veluti sunt duo in diversis Ecclesiis Canonicatus; secus, altero per superiorem spoliabitur. Tria igitur, scilicet Cura animarum, Lex Residentiae, et Uniformitas sub eodem tecto, hoc est in eadem Ecclesia beneficia faciunt *Incompatibilia.*

TITULUS XX.

De conjungendis Ecclesiis, et Beneficiis.

§ I. Quid Beneficiorum Conjunctio, et quotuplex?
II. Cujus auctoritate Ecclesiae conjunguntur?
III. Beneficia, Ecclesiaeve ex justa causa conjunguntur?
IV. Qui in Beneficiorum conjunctione vocandi?
V. Quae beneficia uniri vetantur?
VI. Ecclesiarum, vel Beneficiorum dissociatio?

I. Conjunctio Ecclesiarum, vel Beneficiorum, quae barbare *unio* dicitur, *est duarum, pluriumve Ecclesiarum, seu beneficiorum justis ex causis per legitimum superiorem facta coadunatio.* Hujusmodi conjunctio fieri potest confusione, subjectione, et aequali consociatione. Per confusionem duae, pluresve Ecclesiae in unum veluti corpus ita coalescunt, ut nova Ecclesia utriusque juribus, et privilegiis utatur. Per subjectionem conjunctis Ecclesiis, utraque suum coetum retinet, sed altera principalis evadit, cui altera tanquam filia subjicitur. Hinc Ecclesia secundaria in nomen, et dignitatem principalis tran-

sit, illiusque reditus Ecclesiae principali veluti matri cedunt, et sacrum ministerium alterius solet Vicario demandari. Postremo aequali consociatione uniuntur Ecclesiae, quibus suum titulum, gradumque retinentibus idem minister praeficitur. Hac ratione Cathedrales Ecclesiae plerumque conjungi solent.

II. Porro sine legitima potestate Ecclesiae frustra conjunguntur. Et Romanus quidem Pontifex jure novo omnia beneficia, omnesque Ecclesias conjungere potest. Cathedralium vero Ecclesiarum conjunctionem peculiari jure sibi reservavit (1). Ad Episcopum porro pertinet inferiorum Ecclesiarum conjunctio, quae intra suæ Diœcesis fines continentur. Inferiores vero Prælati Ecclesias sibi subjectas unire prohibentur, nisi vel ex Apostolico privilegio, vel immemorabili praescriptione id juris sibi quaesiverunt: alias Episcopi ex eorum consensu conjungent (2).

III. Jam vero sine justa causa Ecclesias uniri nefas. Plures autem causae in jure nostro proditae sunt, quibus beneficia, Ecclesiaeve conjungi possint. Ita si duae Ecclesiae ad duos Presbyteros sustentandos satis non sunt, eas conjungi oportere edixerunt Pontifices (3). Item si in Ecclesiis vicinioribus populus adeo decrevit, ut paucae familiae numerentur (4). Item ob Episcopi caedem Ecclesia Episcopalis sedis dignitate spoliatur, et Paraeciae instar viciniori Ecclesiae Cathedrali conjungitur (5). His, aliisque gravioribus cau-

(1) *Cap.* Sicut unire *8. de Exces. Praelat.*
(2) *Clemen:* Ne in agro 1. §. *6. de Stat. Monachor.*
(3) *Can. 49. Causs. XVI. Q. 1.*
(4) *Can. 48. Causs. XVI. Q. 1.*
(5) *Can.* Ita nos *25. Causs. XXV. Q. 2.*

sis Ecclesiarum, beneficiorumve coadunatio improbatur (1). Unde ipsarum, ipsorumve coadunatio, tanquam in *materia odiosa*, strictiorem requirit interpretationem (2).

IV. Quo autem de justis causis conjunctionis constet, omnes quorum interest, vocari oportet. Quin et sine consensu Capituli ea res expediri nequit; etiamsi Episcopus in conjunctione perficienda, tanquam Sedis Apostolicae Delegatum se gerat. Itaque opus est consensu patroni sive laici, sive Ecclesiastici (3). Audiendus quoque est populus ejus Ecclesiæ, quae unienda est, ut jura, et vota sua proferat. Item audire oportet Rectores Curatos, aliosque beneficiorum uniendorum possessores; licet id nonnulli falsum pronunciant. Cum enim conjunctionis effectus sit in pendenti, quoad ipsi vixerint, nihil profecto est, quare ipsorum consensus requiratur (4).

V. Verum non omnia beneficia aliis Ecclesiis, aut beneficiis unire licitum est. Et sane.

1.° Beneficia unius Dioecesis, cujuscumque generis ea sint, non possunt uniri beneficiis, monasteriis, aliisve piis locis alterius Diœcesis; ne Ecclesiasticus ordo turbetur (5).

2.° Beneficia Curata Monasteriis, Dignitatibus, Praebendis, aliisque simplicibus Beneficiis adjungi vetuerunt Tridentini Patres, ne magis dignum minus digno adnectatur contra regulam juris.

---

(1) *Gelasius P. Ep. ad Epi copos Lucaniae can. XXIII, causs. 1. Q. 7.*

(2) *Conc. Trid. Sess. VII. R f. cap. 6.*

(3) *Conc. Trid. Sess. XXIV. Ref.*

(4) *Conc. Trid. Sess. XXI. Ref. cap. 5.*

(5) *Conc. Trid. Sess. XXIV. Ref. cap. 13.*

5°. Beneficia libera cum quibuscumque beneficiis etiam simplicibus jurispatronatus conjungi non possunt (1).

VI. Quemadmodum justis ex causis Ecclesiæ, Beneficiave connectuntur, ita eadem justis ex causis dissociantur. Dissociatio autem ejus auctoritate peragetur, a quo conjunctio expeditur; iisque quorum interest, advocatis. Porro ubi de dissociandis Ecclesiis conjunctis agitur, facilius eas dissolvi placuit. Quin si conjunctio certa de causa facta est, cessante causa, Ecclesiae in pristinum statum restituentur.

TITULUS XXI.

De Commendis.

I. Antiquitus Commenda nihil aliud erat, nisi custodia, seu temporaria vacantis Ecclesiae administratio, donec eidem Pastor praeficeretur. Episcopus cui illa custodia commendatur, *Visitator Interventor*, et *Intercessor* audivit. Accessit et alia Commendarum origo. Longobardis, et Saracenis Italiam ferro, flammaque vastantibus, Praesules e suis sedibus ejecti vacantes Ecclesias per Romanos Pontifices in Commendam acceperunt, ut inde aliquod vitæ suæ subsidium ca-

(1) *Conc. Trid. Sess. XXIV. Ref. cap. 9.*

perent : hinc Episcopi *Commendatarii*, *et Subsidiarii* emerserunt. Res, urgente causa, non improbanda adeo increvit, ut Ecclesiæ, Monasteria, eorumque prædia in Gallia primum, mox in Britannia ipsis militibus commendarentur, qui ne sæculi dignitates in titulis omittere viderentur, *Abbacomites*, vel *Abbicomites* dicti sunt. Huic inauditæ novitati quantum temporis ratio ferebat, Pontifices, et Synodi obstiterunt. At specie restituendæ lapsæ disciplinæ monasteria Cardinalibus commendari coeperunt, qui suæ dignitatis, susceptique oneris obliti latius fædissimam pestem serpere siverunt. Huic degenerum Commendarum calamitati, quoad fieri poterat, tandem ivit consultum Synodus Tridentina, omnesque Commendas, quæ Beneficiorum coacervationi deservirent, prorsus abolevit (1). Tum R. Pontificem exoravit, ut Monasteriis Commendatis, quæ suos habebant conventus, Regulares ejusdem Ordinis personas præficeret: quæ vero in posterum vacarent, nonnisi Regularibus conferrentur. Monasteriis vero, quæ *Capita* Ordinum nuncupantur, uti in Regno Neapolitano Monasterium Montis Casini, edixerunt, ut si qui forent Commendatarii intra sex menses aut Religioni illorum Ordinum per sollemnem professionem se addicerent, aut iisdem cederent: secus, Commendae ipso jure vacare censeantur (2).

II. Hæc Concilii Tridentini sanctio aliorsum detorta fuit, et Monasteria, iis tantum exceptis, quae Ordinum Capita habentur, in Commendas

---

(1) *Sess. VII. Ref. cap. 4.*
(2) *Sess. XXV. de Regular. cap. 21.*

dari consueta Clericis saecularibus adhuc conceduntur. Quare si Monasteria Monachorum conventus habeant, congrua pro mensa conventuali portio segregatur, monachisque ad se, et pauperes sustentandos, et ad divinum cultum servandum adtribuitur (1). Quod si monasteria sint Monachis destituta, uti complura sunt in Regno Neapolitano, Clericis saecularibus in perpetuam Commendam a R. Pontificibus cum libera proventuum administratione conceduntur; non secus ac essent puri, putique Beneficiarii, et titulares.

III. Porro quoniam Commendæ praesentibus moribus potius verbis, quam re differunt a beneficiis, quæ in titulum conferuntur, factum est, ut Commendatarii effectu juris iisdem prærogativis, ac veri Beneficiarii, fruuntur

Itaque 1.° habent liberam proventuum administrationem.

2.° Dant suis subditis litteras Dimissorias ad Ordines suscipiendos.

3.° Beneficia conferunt, aut præsentant, sive libera, et simplicia illa sint, sive de jurepatronatus, et curata.

4. Ubi Commenda curam animarum, vel Monachorum habet adnexam, ipsi ad ordines suscipiendos, et ad residendum obligantur; et ubi Ordinarii Prælati absunt, jurisdictionem in Monachos possunt exercere.

5.° Commendis non secus ac Beneficiis pensiones imponuntur, et si Commenda perpetua est, non secus ac verum Beneficium, potest cum alio beneficio permutari. At duo beneficia, unum in titulum, alterum in Commendam nequeunt obtineri.

---

(1) *Espen. P. 1. tit XXXI. cap. 7. n. 27. et seqq.*

TITULUS XXII.

De pensionibus.

I. Pensionis nomine jure civili venit pensitatio, quæ certis temporibus, et portionibus fieri solebat (1). At jure Canonico est *Beneficii delibatio, qua ex eo, quod foret Beneficiarii, pars aliqua decerpitur, et alteri Clerico juxta ex causa a legitima potestate adsignatur.* Itaque in pensionibus imponendis legitima causa omnino requiritur. Sunt enim pensiones juri communi adversae, et veluti dispensationis genus; hinc legitima causa deficiente, immunis a culpa non erit Pensionarius, etiamsi Papa in hac re dispenset. Ad rem Franciscus Cardinalis Toletus: *Qui pensiones retinent, etiam cum dispensatione, si non adest causa legitima, securi non sunt, nec excusantur, quia Papa dedit, et ipsorum est considerare, quomodo dederit* (2). Porro pensionum usus a primis usque temporibus in Ecclesia obtinuit. Par enim, æquumque semper visum est Clericos pauperes, qui justis ex causis suæ Ecclesiæ amplius deservire non possent,

(1) *L. III. D. de statu libero.*
(2) *Lib. I de Instructione Sacerd: cap. 83.*

de Ecclesiasticis bonis sustentari. Sic Eustachio Pergensi Episcopo, qui senio divexatus Episcopatu se abdicavit, alimenta ex Ecclesiæ suae proventibus decreverunt Ephesini Patres (1). Idem in Domno Episcopo Antiocheno a Patribus Chalcedonensibus (2), idem ab aliis Conciliis, idem a R. Pontificibus factitatum est (3).

II. Jam vero Pensiones jure antiquo adsignatæ sunt.

1.° Ut Clericus ejectus, vel depositus, vel ætate confectus ab Ecclesiæ reditibus alimenta ad vitam sustentandam haberet.

2.° Ut Pensio, prout Ecclesiae facultates ferrent, imponeretur.

3.° Ut ad pensionem æstimandam Papæ, aut Concilii auctoritas requireretur. At tractu temporis facta bonorum Ecclesiasticorum in singulos titulos divisione, pensiones non a communi massa, sed a singulis beneficiis decerptæ sunt. Hinc quatuor jure novo pensionis adsignandæ causae emerserunt.

1.° Si clericus de Ecclesia benemeritus, et adversa valetudine affectus beneficium dimittat.

2.° Si clericus inops, et Ecclesiae satis utilis nihil habeat, unde honeste vivere queat.

3.° Ubi duo de beneficio contendant, ad lites dirimendas uni beneficium in titulum, alteri vero pensio tribui potest (4).

4.° Si in causa permutationis pensio retineatur ad compensandam summam fructuum dimissi

(1) *Actione VII.*
(2) *Act. X. XII. XIV.*
(3) *Thomass.. Part. III. lib. 2. cap. 23.*
(4) *Cap. 5. de transaction. Cap. 21. de Praeb. et Dign.*

beneficii cum tenuioribus fructibus beneficii commutati (1). Ceterum non abs re erit animadvertere, partes, ubi agitur de tertia, et quarta imponendae pensionis causa, quam maxime cavere debere, ne ex pactione inter ipsas conveniat: id quod Simoniam sapit (2).

III. Cum pensio veluti quædam beneficii scissio sit, jus imponendæ pensionis jure novo uni R. Pontifici competit. At non desunt Canonistae, qui idem jus etiam Episcopis vindicant. At ex recreptiori sententia distat inter pensionem ab Episcopo, et a summo Pontifice imponendam. Hæc enim ipsi Beneficio imposita censetur; illa vero ipsum Beneficiarium afficit, cujus morte extinguitur (3).

IV. Quantitas autem pensionis moderata esse debeat, ut integra Beneficiario supersit sustentatio. Quamobrem multa cavenda sunt.

1.° Pensionibus onerari non debent vel Ecclesiæ Cathedrales, quae mille ducatos, vel Paræciales, quae centum suis fructibus non superant (4): modo pensio ex certis, non vero ex incertis fructibus extimetur (5).

2.° Neque beneficiis jurispatronatus laicalis, neque jurispatronatus mixti imponenda est pensio (6).

3.° Pensionis quantitas ad tertiam fructuum par-

---

(1) *Cap. 6. de rerum permutatione.*
(2) *Cap. 7. et 21. de transactionibus.*
(3) *Andreas Vallensis de Benef. lib. IV. tit. 2.*
(4) *Conc. Trid. Sess. XXIV. Ref. cap. 14.*
(5) *Pirrhus Corradus lib. V. cap. 1.*
(6) *Glossa in Cap. unic. de jurepat. in 6.*

tem, et in beneficiis simplicibus etiam ad medietatem restringi solet (1).

4.° Pensiones sunt delibandae ex fructibus annuis, et fixis, non ex distributionibus quotidianis, aut oblationibus, quae incertae sunt, nisi in *signatura* aliud expresse addatur.

V. Quamvis Pensio distat a beneficio, est tamen beneficii loco. Et profecto Sixtus V. voluit, ut Clerici tantum pensionibus augeri possint (2): et Pius V., ut officium B. M. Virginis debeant recitare (3). Præterea ex Canonistis pensionem per ipsum matrimonium extingui receptum est (4).

TITULUS XXIII.

De beneficiorum collatione.

§. I. Collatio quid?
II. Ad quem spectat beneficiorum collatio?
III. Quomodo beneficiorum collationes fiant?
IV. Quod tempus collationi beneficiorum statutum?
V. Possessio beneficii beneficiario danda, ejusque effectus?
VI. Qui aliis in re beneficiaria preferendi sunt?

I. In jure Canonico potest quis triplici ratione beneficium Ecclesiasticum consequi, Collatione scilicet, Institutione, et Electione. De Electione satis libro 1. tit. XVII. De Institutione titulo XXV. hujus libri. De Collatione vero hoc titulo dissere-

---

(1) *Fagnanus in lib. 3. Decret. part. 1.*
(2) *Bulla*. Cum sacrosanctam *XCII*.
(3) *Bulla* Ex proximo.
(4) *Gigas. de pension. quaest. 54.*

mus. Ex veteri quidem disciplina statim atque quis Ordinibus initiaretur, alicui Ecclesiae et simul addicebatur, et jus ex ejusdem Ecclesiæ reditibus vitam transigendi adquirebat. Cum vero Beneficii traditio ab ordinatione sejuncta est, Collationis nomen usurpari coepit. Et quamvis Collationis nomen laxius sumtum omnem, et quamcumque Beneficii concessionem significet, tamen stricto sensu acceptum de Beneficiis liberis, quorum collatio ad voluntariam Episcopi jurisdictionem pertinet, intelligitur, quæque propterea definiri potest: *Datio vacantis Beneficii ab eo facta, qui ejus dandi habet potestatem.*

II. Jure primigenio Beneficiorum collatio ad Episcopum Dioecesanum pertinet. Dein alii, atque alii emerserunt beneficiorum collatores, et quidem, vel Apostolicae Sedis privilegio, vel ab inveterata consuetudine, uti alibi Praelati inferiores in proprio territorio, queis quasi Episcopalis jurisdictio competit: alibi Episcopus, et Canonici Cathedralis Ecclesiæ; alibi Canonicorum collegium. Ubi autem Episcopus cum Canonicis beneficia confert, vel ut unus e Canonicorum collegio censetur, vel ut Capituli praeses, vel uti aequali cum Capitulo praeditus potestate. Sed in hac re Ecclesiarum mores servari debent. Denum Summus Pontifex, ut mox videbimus, multorum beneficiorum collator habetur,

III. Postquam Beneficia ab Ordinatione sejuncta sunt, eorum collatio fieri coepit actione peculiari, qua Collator suam declarat voluntatem, se huic, aut illi beneficium tribuere; idque etiam nudis verbis fieri potest. Verum ad fraudes avertendas obtinuit, ut collationes neque fiant, neque probari possint sine Scripturis. Hinc hodierna Ecclesiasticarum Curiarum ratio neminem in bene-

ficii possessionem, vi factae collationis immittit, nisi litteris, quas *Patentes* appellant, expeditis, et exhibitis. Porro harum litterarum formulam, qui addiscere cupit, adeat Barbosam in Appendice ad Tractatum de Officio Episcopi formula sexagesima septima.

IV. Quoniam ex diutina Ecclesiarum, et beneficiorum vacatione non pauca promanant incommoda, factum est, ut iis conferendis certa tempora statuta sint; quibus elapsis, beneficiorum, Ecclesiarumve Collatio, uti nos supra libro I. tit. XVII. n. IV. innuimus, ad potiorem potestatem devolvitur. Uni Papae conferendorum Beneficiorum nullum tempus statutum est. Verumenimvero excipiuntur, quae in corpore juris reservata sunt Beneficia; quæ quidem si per Pontificem intra mensem a die vacationis non fuerint collata, integrum erit Episcopo eadem conferre (1), licet Curiae Romanae stylus id non ferat.

V. Peracta collatione, Beneficiarius in beneficii possessionem, quam *Institutionem corporalem* dicunt, immittendus est, sine qua nec fructus percipere, nec demandatum Officium potest explicare. Ante possessionem Beneficiarii, et præsertim Parochi obedientiam suo Episcopo promittere, et jurare debent, et qui Praebendis, et Dignitatibus donantur, coram Episcopo, et in Canonicorum Collegio fidem Catholicam profitentur. Ubi vero Beneficiarius per anni spatium possederit, in jus vocatus ab eo, qui idem beneficium tanquam vacans impetravit, possidere perget, quousque lis fuerit definita. Post triennalem vero

---

(1) *Cap. 3. de Praebends, et Dignit. in 6.*

pacificam possessionem litium ambages non expavescet.

VI. Inter omnes rerum Canonicarum interpretes convenit, Clericis omnibus, qui digni beneficiis habentur, præferendos esse digniores. Missis heic consulto tot maleferiatorum Casuistarum ambagibus, atque ineptis de Beneficiis *Curatis*, et non *Curatis* quaestiunculis, quibus omnia religiosiora sursum, deorsumque vertere satagerunt, quos Innocentius XI. Sanctissimus Pontifex e Vaticana arce jure, meritoque proscripsit (1); unum Episcopos semper ante oculos versari oportet; scilicet beneficiis, sive ea *Curata* sint, sive non *Curata*, eos tantum augendos, atque afficiendos esse, qui scite, vere, recteque digniores habentur; secus, haud architecto dissimiles sunt, qui non marmoraee columnæ, sed ligneae aedificium imponit. Quod si Decretalium jure ratae habentur collationes de dignis ἁπλῶς factæ, id ne in foro lites multiplicentur, sancitum est.

---

(1) *Videsis Janum Vincentium Gravina Tomo II, pag. CLVIII. Prisci Censorini Photistici Hydra Mystica, seu de corrupta mortali doctrina Dialogus.*

TITULUS XXIV.

DE MANDATIS, RESERVATIONIBUS, ET PRAEVENTIONIBUS APOSTOLICIS.

I. *Mandata de Providendo* sunt R. Pontificis litteræ, quibus Collatores jubentur alicui Clerico beneficium conferre. Porro quæ litteræ pro vacantibus beneficiis scribebantur, proprie *Mandata de Providendo* dicta sunt, quae vero pro beneficiis vacaturis, *Gratiae Expectativae* audierunt. Omnium primus Hadrianus IV. *Mandatis de providendo* initium fecisse videtur; quorum usum, qui secuti sunt Pontifices, latius produxerunt. In mandatis autem expediendis non alia mens Pontificibus fuit, quam bene de Ecclesia meritis Clericis consulere, quibus, unde viverent, aliunde non esset (1).

II. Jam vero hujusmodi mandata principio rariora, cum lapsu temporis excrevissent: iisque propterea obtemperare recusarent Collatores, preces in praecepta convertuntur, et triplicis generis

(1) *Cap.* Cum teneantur *6. ex: de Praeb.*

litterae emerserunt, *Monitoriae* scilicet, *Praeceptoriae*, et *Executoriae*. Litteris Monitoriis commendationes: Præceptoriis jussa continebantur, quibus si collatores non obedirent, Executor dabatur; qui non solum beneficium ex Mandato conferri jubebat, sed etiam contumaces adjectis poenis coercebat. Verum secutis temporibus Pontifices una epistola rem omnem conficiebant, et delectus Executor, cessante collatore, beneficium conferebat.

III. Satis firmato *Mandatorum* usu, Pontificiae subinde *Reservationes* prodierunt, quae sunt, *decreta, quibus Pontifices collationi suae vacantia, vel vacatura beneficia addicunt, ordinariis Collatoribus eorundem conferendorum ablata potestate.* Et licet beneficia *Reservata*, et *Affecta* aliquando prmiscua notione usurpentur, *Reservata* tamen ab *Affectis* longe distant. *Affecta* enim ea dicuntur, quibus conferendis se Pontifex immiscet. *Reservatorum* vero collatio ad ipsum perpetuo pertinet.

IV. Cum autem de tot innumeris cujusque generis Reservationibus gravati essent tum Episcopi, aliique locorum Antistites, tum Catholici Principes, de his abolendis, aut saltem temperandis actum est primum in Conciliis Constantiensi, et Basileensi: dein in Conventu Prælatorum sub Paulo III., et demum in Tridentinis Comitiis. Itaque in hac sacrosancta Synodo omnes Expectativæ reservationes mentales, et aliae quaecumque gratiae ad vacatura beneficia prorsus abolitae sunt (1). Sed de Reservationibus sic proprie dictis,

---

(1) *Sess. XXIV. Ref. cap. 19.*

dunt summam ducentorum florenorum aureorum, et beneficia omnia, quae, Sede Episcopali, vel alterius Collatoris vacante, vacaverint.

In tertia reservantur omnes primariae Dignitates post Pontificales, et beneficia Cardinalium, eorumque, qui tum ipsi Pontifici, tum Cardinalibus familiares fuerunt; quamvis tales esse desierint.

In quarta reservantur omnia Beneficia Collectorum, et Subcollectorum fructuum Camerae Apostolicae.

In quinta omnia beneficia Curialium in itinere, dum Curia transfertur, decedentium.

In sexta beneficia Cubiculariorum etiam honorariorum, et Cursorum Pontificis.

In septima reservantur omnia beneficia Basilicarum S. Joannis Lateranensis, S. Petri Vaticani, et S. Mariae Majoris, quaeque in titulis Cardinalium, ipsis absentibus, vacaverint.

In octava Regula omnia beneficia, quae vacaverint in octo mensibus, nempe Januario, Februario, Aprili, Julio, Augusto, Octobri, et Novembri. Verum illi Antistites, qui in suis Ecclesiis resident, alternis mensibus collationem ipsi cum Pontifice dividunt; iis tantum exceptis beneficiis, quae aliis ex causis Papae reservantur. Haec autem alternativa ad Collatores Episcopis inferiores non pertinet. Ceterum Cardinales Episcopi facultatem, quam *Indultum* vocant, ex Pontificis venia habent conferendi beneficia etiam in mensibus Papae reservatis; dummodo ea facultate non utantur ad conferenda beneficia duplici *Reservationis*, vel *Affectionis* vinculo *reservata*, vel *affecta* (1): atque in hujusmodi collationi-

(1) *Clem. VIII. Bulla* Quamvis.

bus litteræ Apostolicæ intra quatuor menses impetrentur, solutis de more taxationibus: et beneficiorum reditus summam ducatorum viginti quatuor auri de camera non excedant (1).

MANTISSA.

Ex novissima conventione inita inter Pium VII. et Ferdinandum I. Neapolis Regem quid de beneficiis liberae collationis actum sit, consule Concordatum art. 8. et seqq.

VI. Novis Romanorum Pontificum Constitutionibus Concilio Tridentino posterioribus novae inductae sunt beneficiorum Reservationes. Ita reservata sunt beneficia, quæ ob crimen Haeresis vacaverint (2). Item beneficia, quae, contracta fiducia, seu uti dicunt, in *confidentiam* recipiuntur (3). Item Paraeciae, quae per *Concursum* non fuerint collatae ex forma a Concilio Tridentino praescripta (4). Item beneficia vacantia ex resignatione contra regulam a Gregorio XIII. constitutam (5). Et demum ex Bullis Xysti V. et Benedicti XIII. beneficia eo nomine vacantia quod Habitus, et Tonsura Clericalis non deferatur. Illud autem explorati juris est in Apostolicis Reservationibus beneficia jurispatronatus sive laici, sive mixti non contineri.

VII. Praeter Mandata de Providendo, et Reservationes, etiam Pontificiae Praeventiones in re

---

(1) *Bened. XIV. Bulla:* Cum sicut accepimus.
(2) *Pius V. Bulla:* Ex Apostolatus officio.
(3) *Pius V. Bulla:* Romanum Pontificem.
(4) *Pius V. Bulla:* In conferendis.
(5) *Bulla:* Humano vix judicio.

beneficiaria locum habuerunt; quibus scilicet Romani Pontifices beneficia a propriis collatoribus nondum collata præoccuparunt. Eæ autem cum nimis invaluissent, et ad præveniendum Collatores in Curia fraudes committerentur, Joannes XXII. procudit Regulam Cancellariæ de *verisimili notitia*. Ea cautum est, ut Pontificiae Præventiones nullius roboris essent, nisi a morte beneficiarii id temporis foret elapsum, ut ea Pontifici facile potuerit innotescere. Eadem poena locum quoque habet, si nuntius ante beneficiarii mortem Romam appulisset, quod vocant *Cursum Ambitiosum*. Ceterum ubi divisio mensium inter Pontificem, et Episcopos servatur, Præventio cessat.

TITULUS XXV.

De institutionibus, et jurepatronatus.

§. I. Definitio Jurispatronatus?
II. Quotuplex est juspatronatus?
III. Quæ inter utrumque differentia?
IV. Ubi plures sunt Patroni, quomodo fiat praesentatio.
V. Quot modis Juspatronatus adquiritur?
VI. Quibus modis Juspatronatus transfertur?
VII. Quae jura patronis quæsita!
VIII. Juspatronatus quibus modis finitur?

I. Antistites, beneficiorum Collatores sæpe tenentur certis Clericis, quos alius ex jure nominat, beneficia conferre. Hoc casu Offerens, Patronus; Beneficium *Jurispatronatus*; et ipsa Collatio, Institutio nuncupatur: Itaque Juspatronatus in hac causa definiri solet: *Facultas a Canonibus data, qua Patronus, vacante bene-*

ficio, *idoneum ministrum offert ab Episcopo*, *alioque Collatore instituendum*; *qui simul aliis juribus partim utilibus*, *partim onerosis*, *partim honorificis utitur*. Porro licet vocabula *Patroni*, et *jurispatronatus* sint recentioris peculii, ipsius tamen rei haud obscura vestigia in antiquis monumentis habentur. Sane anno CCCCXLI. Synodus Arausicana (1) Episcopo, qui in aliena Dioecesi Ecclesiam extrueret, concessit, ut ad eam regendam pro suo arbitrio Clericos eligeret, et loci Episcopo sisteret ordinandos. Mox idem jus in Oriente laicis datum est. Generatim vero in Synodo Toletana IX. anno IↃCLV. coacta sancitum est (2), ut fundatores quousque ipsi viverent, Rectores idoneos in Paraeciis a se fundatis Episcopo offerrent: mox praerogativa illa, quae personalis erat, in heredes transmitti, et inter cetera hæreditaria jura reputari coepit: et sic hoc jus Clericos Episcopo sistendi, eosque ab Episcopo in Ecclesiis a se fundatis instituendi abiit in verum patronatum.

II Jam vero postero tempore multiplex invectum est juspatronatus, Laicum scilicet, Ecclesiasticum, et Mixtum.

1.° Laicum juspatronatus est, quod alicui sive Clerico, sive laico competit privati patrimonii ratione: etsi Clericus ex Ecclesiasticis proventibus juspatronatus constituerit (3).

2.° Ecclesiasticum est, quod Ecclesiae, vel Clerico non privati Patrimonii, sed Dignitatis, aut Officii Ecclesiastici ratione convenit.

---

(1) *Can.* X.
(2) *Can.* II.
(3) *Gonzalesius ad Cap.* 5. *de jurepatr.*

3.ª Mixtum juspatronatus ex laico, et Ecclesiastico coalescit: id quod duobus modis fieri potest; veluti si e duobus patronis laicis alter jus suum Ecclesiae cedat; aut si duo patroni, laicus scilicet, et Ecclesiasticus ad conferendum beneficium ex æquo concurrant; quod si duo patroni non simul, sed alternis vicibus praesentant, mixtum non erit. Porro in jurepatronatus mixto illi juri sive laico, sive Ecclesiastico standum est, quod patronis magis favet, ut alteruter privilegio socii utatur. Ceterum ubi dubitetur, utrum juspatronatus laicum sit, an Ecclesiasticum pro laico habendum est. Deinde juspatronatus laicum in reale, et personale dividitur. Reale rei, seu fundo adhaeret; ut qui dominus fundi est, juspatronatus exerceat. Personale autem personae, idest Patrono; ejusque liberis, heredibus, propinquis, gentilibus competit. Quod si juspatronatus feudo adhæreat, et feudum in Ecclesiam transferatur, jus illud ex laico in Ecclesiasticum non convertitur. Ecclesia enim in ea specie laici patroni vices fungitur.

III. Porro inter Patronum Laicum, et Ecclesiasticum non pauca jure novo intercedunt discrimina. Et quidem.

1.° Laico Patrono quatuor mensium, Ecclesiastico vero sex mensium spatium ab eo die computandum, quo beneficii vacatio innotuit, conceditur, et quidem cum potestate variandi, hoc est alium post alium offerendi: idquod Ecclesiastico Patrono denegatur (1). Hinc utroque tempore exacto, et litteris nominationis non exhibitis, Or-

---

(1) *Clement. II. de jurepat. et Cap. 24 de eodem.*

dinarius Antistes pro jure suo beneficium confert.

2.° Si laicus Patronus indignum praesentarit ea vice jure praesentandi non privabitur, secus in patrono Ecclesiastico accedit.

3.° Paræcia jurispatronatus laici per examen dumtaxat ab Episcpo instituendum confertur; at si Paræcia fuerit Ecclesiastici patronatus, per *Concursum* ad Tridentini normam conferenda est.

4.° Legatus a *latere* Ecclesiastici, non vero laici, aut mixti patronatus beneficia confert (1).

IV. At quid si plures fuerint Patroni? Tunc enim plures Patroni vel unum corpus, seu collegium constituunt; vel juspatronatus ad illos seorsum spectat. Si primum, præsentatio ab omnibus conjunctim facienda est, et cum sit species quaedam electionis ex ordinariis regulis Electionum est peragenda. Si alterum, satis erit, ut singuli patroni in idem conspiraverint, licet divisim, diverso tempore, per plura, aut idem instrumentum, sed a singulis diverso tempore signatum (2). Quod si plures patroni diversos Clericos praesentaverint, et illorum suffragia paria fuerint, beneficii et collatio, et institutio ad Episcopum pertinebit.

V. Jam vero potiores modi jurispatronatus adquirendi sunt fundatio, constructio, dotatio, et præscriptio. Per fundationem patronatus ab eo adquiritur, qui praedium ad Ecclesiam extruendam praebuerit (3). Per constructionem adquiritur juspatronatus, ubi quis Ecclesiam suis sumtibus ædifi-

---

(1) *Cap.* 28. *de jurepatr.*
(2) *Espenius P. II. tit. XXV. Cap.* 5. *n.* 32. 38. 39.
(3) *Can.* Abbatem 4. *Caus. XVIII. Q.* 2. *et Cap.* 3. *de jurepatronat.*

cavit. Per dotationem denique quis Patronus evadit, ubi congruam dotem alendis Clericis, et sacro Religionis cultu sustinendo tribuerit. Hinc illud Glossae: *Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.* Inest enim juspatronatus fundationi, constructioni, et dotationi simul, aut dotationi dumtaxat. Quare si quis, deperdita, vel alienata Ecclesiæ jam aedificatae dote, alium ipsi substituerit, juspatronatus adquiret (1). Præscriptione quoque juspatronatus adquiritur. Præscriptio autem in praesenti specie satis est quadragenaria, si contra Patronum procedat: ubi vero contra Ecclesiam currat, opus est, ut possessio ea temporis diuturnitate firmetur, cujus contraria memoria non extet (2).

VI. Porro juspatronatus semel quaesitum pluribus modis in alios transfertur. Et sane.

1.° Quidem Juspatronatus rei adhaerens cum re ipsa transfertur, sive dominium sit plenum, sive utile; licet in fundi alienatione nulla patronatus mentio injiciatur (3). Et si patronatus fundo dotali inhæreat ad maritum, qui jure civili dominus dotis habetur, durante matrimonio, præsentatio spectat (4): receptumque etiam est, præsentationem a bonae fidei possessore factam valere, et institutionem inde factam sustineri, etiamsi fundus postea evincatur (5).

2.° Juspatronatus laicum personale transfer-

---

(1) *Trid. Conc. Sess. XIV. Ref. cap. 12., et Sess. XXV. cap. 9.*
(2) *Conc. Trid. Sess. XXV. Ref. cap. 9.*
(3) *Cap. XIII. de jurepatr.*
(4) *Espen. Par. II. tit. 25. cap. 4. n. 11.*
(5) *Cap. 19. de jurepar.*

tur cum hæreditate sive legitima, sive testamentaria in heredes in solidum; etiamsi hæreditas inæqualiter dividatur. Ius enim patronatus individuum est, excepto jure præsentandi, in quo heredes non in capita, sed in stirpes succedunt (1).

3.° Patronatus quoque transfertur permutatione cum alia re spirituali (2), et donatione, quae si Ecclesiæ, vel Monasterio fiat, Episcopi consensu opus non est (3). Verumenimvero quovis modo juspatronatus transfertur, illud quam diligentissime cavendum est, ne quid ejus intuitu solvatur. Quod enim Spirituali est adnexum, si pretio aestimatur, Simoniaca labe afflatur (4).

VII. Præter Clerici praesentationem plura sunt, quae Patronis Sacri Canones tribuerunt. Et quidem.

1.° Patronis, si egeant, alimenta debentur ex Concilio Toletano IV. (5), quamvis Patroni in tabulis fundationis nihil sibi reservaverint, aut juri præsentandi renuntiaverint.

2.° Patronis debetur *honor thuris*, *honor precum*, hoc est eorum nomina in sacris precibus recitanda: *honor processionis*, hoc est locus dignior in Ecclesia, *honor sedis*, *sepulturae*, *panis benedicti*, *osculi pacis*, *aquae benedictae*, aliaque hujusmodi.

VIII. Jam vero juspatronatus quemadmodum pluribus modis adquiritur, ita et multis modis finitur. Itaque ergo.

---

(1) *Clement. II. de jurepatr.*
(2) *Cap. 6. de rerum permutat.*
(3) *Cap. ult. de jurepatron. in 6.*
(4) *Cap.* de jure *16. dejurepatr.*
(5) *Can.* Quicumque *30. causs. XVI. Q. 7.*

1.° Juspatronatus amittitur renunciatione Patroni, et praescriptione.

2.° Si Patronus Ecclesiae Rectorem, aut Clericum violenter adgrediatur, aut occidat.

3.° Si in haeresim incidat.

4.° Si jura Ecclesiae usurpaverit.

5.° Si jus illud vendiderit separatim.

6.° Si Ecclesia corruerit.

TITULUS XXVI.

De peculio clericorum.

§. I. Peculium quid!

I. Peculium recte definitur: *pusilla pecunia, quam filius familias, vel servus a rationibus paternis, vel dominicis separatam habet* (2). De vario peculiorum genere in Justinianeis Institutionibus verba jam fecimus. Unum hic porro animadvertas velim, bona a Clericis in Ecclesiae ministerio sibi comparata non immerito peculii nomine donari. Quemadmodum enim apud Romanos neque servus, neque filiusfamilias dominium habebant, sed usum tantummodo, et administrationem bonorum patris, vel domini, ita Clerici bonorum Ecclesiasticorum nonnisi usum, administrationemque habent. Quare Clericis diem supremum obeuntibus, Ecclesiae, ad quam pertinent, bona illa iterum cedunt. Nomine autem Ecclesiae olim veniebat commune Ecclesiae Matris aerarium: at bonis tractu temporis in sportulas, seu

---

(1) *L. r. D. de peculio.*

portiones divisis, Ecclesia, ad quam pertinent bona illa, est, in qua Beneficium fundatum est.

Duae hic graviores controversiae excutiendae videntur. Harum prima est: Num Clerici, qui satis privati Patrimonii habent, quo vivant, possint ex Ecclesiasticis reditibus vitam transigere. Altera vero est: Num Clericis de bonis ex Ecclesiae beneficiis perceptis liceat testari. Utrumque nos opportuniori loco discutiemus.

FINIS LIBRI II.

INSTITUTIONUM

JURIS CANONICI.

LIBER III.

TITULUS PRIMUS.

De Ecclesiastica Jurisdictione.

I. Postremus Canonicarum Institutionum liber judicia Ecclesiastica complectitur; quibus jurisdictionis indoles, ejusque amplitudo, judiciorum forma, criminumque, ac poenarum discrimen ex veteri, et nova disciplina dilucide, ac distincte enucleanda sunt. Jam vero Sacras paginas vel leviter versanti facile occurret inter Ecclesiasticam, et Regiam potestatem discrimen, quarum altera æternam, altera vero temporariam hominum felicitatem spectat. Etenim ille idem Apostolus, qui

Episcopos alloquens dixit: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (1): ad Titum scribens ajebat: *Admone illos principibus, et potestatibus subditos esse* (2). Itaque ergo Magistratus in iis, quæ ad Religionem pertinent, Ecclesiam audire, ejusque mandatis obtemperare debent. Contra Ecclesia Magistratibus in iis, quæ res temporales sive publicas, sive privatas spectant, obsequium præstat: Quapropter ut in re maxime momentosa scite, recteque procedamus, ab ipso jurisdictionis nomine, ejusque natura definienda, initium faciamus oportet.

II. Jurisdictionis vocabulum in veteri Ecclesia haud facile receptum invenimus. Neque enim Patres, neque Concilia illud adhibere, sed potius auctoritatis, potestatisque nomina usurparunt. Insequenti tempore, restituto juris Civilis studio, Clericorum electione ab eorundem ordinatione sejuncta, jurisdictionis vox paulatim in Ecclesiam recepta est. Neque vero hujusmodi vocis una, eademque notio tam in jure civili, quam in jure Canonico est. Etenim jure civili vel Magistratuum potestatem denotat, qua causas cognoscendi, litesque finiendi facultatem habent, vel judicis dandi auctoritatem significat. Sed jure Canonico ea vox latius patet, omnemque potestatem, quae Episcopis, aliisque Ecclesiasticis judicibus competit, sive causas audiunt, sive lites decernunt, sive ferunt judicia, sive poenas irrogant, comprehendit.

III. Potestas, qua Christus Ecclesiam suam mu-

(1) *Act. cap. XX.*
(2) *Cap. III.*

nitam voluit, omnino spiritualis est, eaque bifariam dividitur, in potestatem scilicet Ordinis, et Jurisdictionis. Prior circa Sacramenta, eorumque administrationem, de quibus satis libro superiori, versatur. Posterior vero rursus dividitur in jurisdictionem, quæ forum internum respicit, quæque in judicio pœnitentiali locum habet, et jurisdictionem fori exterioris, seu contentiosi, quae res peraeque ac personas Ecclesiasticas complectitur. Porro utramque potestatem a Christo accepit Ecclesia, uti ostendunt Scripturae testimonia (1). Sane Ecclesia priori potestate munita, quæ credenda, quæque agenda sunt, fidelem populum docet, eumque Sacramentis firmat, ac roborat: posteriori vero in malos Christianos censuris animadvertit: illa peccatores absolvit: ista pertinaces a suis conventibus expellit: altera Pastores gregibus præficit: altera indignos persequitur. Hinc a primis usque temporibus Episcopi tanquam Judices inter fideles sederunt, eorumque lites facili negotio composuerunt (2). Quam quidem agendi rationem ab Episcopis jam exercitam, Concilia tranquillatis rebus non modo non interdixerunt, aut imminuerunt, sed et suis sanctionibus firmarunt magis, ac tuita sunt. Hinc in Concilio Nicæno I. (3) cautum est, ut Episcopi bis in singulis annis provinciale Concilium agentes Clericorum causas ex æquo, et bono dijudicarent. Et ipse Constantinus M. in eadem Synodo, cum non paucos accusationum libellos ab Episcopis sibi oblatos accepisset, illos ustulandos esse jus-

(1) *Matth. XXVIII. Joan. XX. Paul. I. ad Timoth. V.*
(2) *I. ad Corinth. cap. VI.*
(3) *Can. V.*

sit, et ad Episcopos sermonem convertens dixit, *Vos Dii estis a vero Deo constituti : ite, et inter vos causas vestras discutite : quia dignum non est, ut judicemus Deos* (1). Quare idem Imperator Cæciliani Episcopi Carthaginiensis, et Athanasii Alexandrini Patriarchæ causas sibi a Donatistis, atque Arianis contra jus omne, fasque delatas in Episcoporum conventibus discutiendas commisit (2): idque etiam colligitur ex ejusdem Imperatoris lege lata anno CCCLIV. Præterea Valens, Gratianus, Valentinianus, et quotquot deinceps secuti sunt Imperatores sive Orientales, sive Occidentales idem præstiterunt.

IV. Dum Christiani ab Ecclesiæ initio lites suas ad quoscumque fratres, et præsertim ad Episcopos componendas deferebant, civilis jurisdictio paulatim Sacerdotio accessit : et Episcopi in civilibus quæstionibus, et causis pecuniariis, quæ inter Clericos intercedebant, Imperiali auctoritate muniti deciderunt. Quod si lis erat Clericum inter, et laicum, tunc laico sive actori, sive reo integrum erat adversus Clericum in foro laico vel actionem intendere, vel jus suum tueri ; neque causam ad Ecclesiasticum judicem deferre laicus cogebatur, nisi ex compromisso sese hujusmodi conditioni subjecisset. Utrumque jus aperte ostendunt Ecclesiastica, atque Imperatoria monumenta (3).

---

(1) *Euseb. de vita Constan. lib. III. Cap. 10., et Rufinus lib. I. cap. 2.*

(2) *Opatus Milev. collat. contr. Donatistas, et Socrates lib. I. cap. 20.*

(3) *Can. IX. Conc. Chal. Can. XI. Conc. Cabilonensis. Can. VIII. Conc. Matisconensis. Can. XXI. Con. Aurelia-*

V. Jam vero Imperatores duplex criminum genus, leviorum scilicet, et graviorum distinctum voluere. Et quidem leviora Clericorum crimina Episcoporum cognitioni fuisse reservata Jacobus Gothofredus (1), et Petrus de Marca (2) ex D. Ambrosio colligunt, qui Valentinianum Juniorem de ejus Patre sic alloquitur (3): *Augustae memoriae pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit. In causa fidei, vel Ecclesiastici alicujus Ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis. Haec enim verba Rescripti sunt: hoc est Sacerdotes voluit de Sacerdotibus judicare. Quin etiam si alias quoque argueretur Episcopus, et morum esset examinanda causa, hanc etiam voluit ad Episcopalem judicium pertinere.* Quod vero atrociora Clericorum crimina spectat, ii a judicum sæcularium potestate non omnino facti sunt immunes; licet Episcopis defensionem suam per procuratores, non per seipsos proferre datum sit (4). Porro lapsu temporis Justinianus primum omnes Monachorum, Sanctimonialium, et mulierum in Monasteriis vitam agentium causas Episcopis prorsus attribuit (5): dein omnes Clericos, Episcopis non exceptis, a causis criminalibus immunes voluit (6).

---

nensis II *Nov.* XII. *Valentiniani ad calcem Cod. Theod. L.* XIII. *C. de Episcoporum audientia. L.* XVI. *C. de Sacros. Eccl. aliisque.*

(1) *In leg.* XXII. *Cod. Theod. de Episc. et Cler.*

(2) *Dissert. in Cap.* Clericus *ad calcem Ant. August.*

(3) *Epist.* 32.

(4) *Valentin. novel.* XII.

(5) *Novel.* LXXIX.

(6) *Novel.* CXXIII.

Præterea hæc immunitas in Italia sub Rege Theodorico magis sese explicuit, eamque Principes Longobardi ad Ecclesiarum vassallos, colonos, et agricolas extenderunt (1). Imperatores vero Occidentis Carolus M., Carolus Calvus, Fridericus suis constitutionibus Ecclesiarum, ac Clericorum immunitati magis, magisque consuluere; donec Synodus Lateranensis V. (2), et demum Tridentina (3) præcipit, *Sacros Canones, Concilia Generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones in favorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticae, et contra ejus violatores editas, quae omnia praesenti decreto innovat, exacte ab omnibus observari debere.*

MANTISSA.

Quid de Clericali foro, atque Ecclesiastica immunitate in Neapolitano Regno obtinet, consule novum fœdus a cap. I. ad cap. usq. IV., quod Carolus Borbonius cum Benedicto XIV. inivit anno Domini MDCCXLII; et fœdus novissimum ictum anno MDCCCXVIII.

---

(1) *Muratorius Annal. Ital. ad an. 513. et antiq. Ital. dissert. LXXI.*
(2) *Sess. IV.*
(3) *Sess. XXV. Ref. cap. 20.*

TITULUS II.

De Judiciis Ecclesiasticis.

§. I. Quid est Judicium? et quotuplex?

II. Quæ judiciorum forma tam jure veteri, quam jure novo?

I. Judicium vulgo definitur: *legitima rei inter actorem, et reum controversae coram judice competente disceptatio.* Hæc definitio tum Ecclesiasticum, tum laicum judicium comprehendit. Verum judicium laicum una pollet potestate judicandi, de externis scilicet; judicium vero Ecclesiasticum de externis simul, et internis. Porro judicium constat actore, reo, judice, et causa, de qua agitur. Et sane multæ sunt judiciorum species pro variis, quæ disceptantur negotiis, et pro varia, qua instituuntur, ratione.

1.° Judicium aliud Spirituale est, in quo de re, aut de jure spirituali agitur; aliud temporale, in quo de re temporali; et mixtum, quod de utroque agit.

2.° Judicium vel ordinarium est, vel delegatum. Dicitur ordinarium, quod coram judice ordinario exercetur. Est autem ordinarius judex, qui sive jure suo, uti Episcopus, sive superioris beneficio, uti Sedis Apostolicae legati, universalem habet jurisdictionem, quam uterque alteri delegare potest. Judicium autem delegatum est, quod coram judice delegato exercetur. Judex autem delegatus is est, qui non jure suo, seu jure sui officii jurisdictionem habet, sed sibi a judice ordinario mandatam. Quapropter jurisdictionem

illam non potest alteri mandare, nisi delegatus a Principe sit. Tunc enim delegatus subdelegare alterum poterit.

3.º Vel civile est, ubi de bonis, et juribus; vel criminale, ubi de delictis agitur.

4.º Vel petitorium est, vel possessorium. Dicitur petitorium, in quo agitur de proprietate, vel de alio jure seorsum a possessione, vel quasi possessione. Porro Possessio est rerum corporalium, prædiorum scilicet: quasi possessio vero est rerum incorporearum, uti sunt servitutes, ususfructus. Dicimur autem agere judicio petitorio, si petamus hæreditatem, vindicemus servitutem, vel de quocumque jure ex: gr: eligendi, aut de dominio disceptamus. Judicium possessorium est, in quo de sola possessione quæritur, ex: gr: possideat ne aliquis, an non? vel de adipiscenda, vel retinenda possessione, missa possessione dominii, quæ ad maturius examen reservatur. Etenim possessio cum proprietate nihil commune habet, licet possit utrumque judicium cumulari.

5.º Tandem judicium in extraordinarium, et ordinarium dividitur. Extraordinarium, quod et Summarium dicitur, est, in quo negliguntur sollemnia, omnesque actus, quæ in judiciis leges præscribunt, iis tantum servatis, quæ intrinsecam naturam judicii pertinent, sine quibus de veritate, et justitia non constat. Ordinarium vero est, in quo sollemniter proceditur, servatis omnibus judicialibus actis.

II. Jam vel a prima Ecclesiæ ætate in peragendis Ecclesiasticis judiciis res ita ferme se habebat. Episcopus inter Presbyteros medius sedebat, veluti Magistratus inter Judices: stabant Diaconi tanquam apparitores justitiæ: ii vero, quos inter lis intercedebat; vel qui de crimine aliquo erant

accusati, coram aderant suam causam acturi. Hujusmodi judicium erat veluti summarium, missis procul forensibus ambagibus. Porro erat Episcopi et quod justum videbatur, decernere, et partibus, ut simultates, et iram deponerent, suadere. Quamobrem Episcopus suum Tribunal, seu ut dicunt, *Audientiam*, die Lunæ habebat, ut partibus integra hebdomada superesset, qua inter se reconciliaretur pax: et sic ex Apostoli hortatu *puras manus sine ira, et sine disceptatione lavarent* (1). Verum sæculo XIII. ineunte Ecclesiastica judicandi forma paulatim immutata est, et jure novo Ecclesiasticorum judiciorum forma eadem ferme est, ac judiciorum saecularium. Quo factum est, ut in Ecclesiasticis judiciis persequendis forensium judiciorum exemplo sex requirantur. Et quidem.

1.° Judicis persona.
2.° Persona actoris, et rei.
3.° Curiæ Administri.
4.° Instructio processus.
5.° Sententia definitiva.
6.° Jus appellationum. Nos de singulis breviter. Verum antequam de his sermonem instituamus, de proprio, seu competenti Clericorum foro, causisque ad illud deducendis nonnulla dicamus oportet.

---

(1) *I. Ad Timoth. cap.* 2.

TITULUS III.

De foro Competenti.

I. Forum, sive Forus apud Romanos negotiationis, et exercendarum litium locus fuit, sic dictum a ferendo; quod eo loci et controversiæ definiendæ, et merces venales deferebantur, eratque locus satis amplus, constabatque area, et basilicis, quæ porticibus ad ambulationes cingebantur. Definitur vero locus, ubi adsidentibus, Magistratibus judicia exerceri, cum populo agi, concionesque haberi solent. Porro dicitur Forum competens, quod idem est, ac Forum proprium, in quo et judici, seu Magistratui competit suam exercere potestatem, et reus conveniendus est: qua quidem notione dici etiam consuevit *judex competens*, et *tribunal competens* (1). Hinc effatum juris: *Actor sequitur forum rei.*

II. Jam vero Clerici omnes qua superiores, qua inferiores, Regulares, eorumque *Conversi*, *Oblati*, *Tertiarii*: omnes Sanctimoniales in cunctis ferme civilibus, et criminalibus causis ita E–

(1) *L. XVIII. D. de jurisdict. et L. XXXVIII D. de Procurat.*

piscopali foro subsunt, ut eos ad laicum Tribunal trahere vetitum omnino sit (1).

MANTISSA.

Jure Neapolitano prima tantum Tonsura initiati, modo tonsuram, et habitum clericalem deferant; Episcopalis Curiae administri; ipsique Cursores, modo sint intra numerum, a fori saecularis potestate immunes sunt (2).

III. Constituta Clericorum immunitas quasdam patitur tum in criminalibus, tum in civilibus limitationes. Et sane Clerici jure communi ob graviora quædam delicta laico foro subjiciuntur.

1.° Si Clericus in Sacris constitutus habitum Clericalem non deferat, terque ab Episcopo monitus ad bonam frugem non redeat, civili potestati debitas pœnas luet (3).

2.° Clericus *assassinus* sive mandans, sive mandatarius, ejusque fautores, ubi de crimine satis constet. Quo in casu depositionis, vel degradationis sollemnitate opus non est (4).

MANTISSA.

Hoc idem jus statutum est pactis conventis inter Benedictum XIV, et Carolum Borbonium cap. III. art. 3.

IV. Plures quoque sunt causæ civiles, quæ Clericos in Curiæ sæcularis potestatem redigunt.

---

(1) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Reg. cap. 2.*
(2) *Concord.*
(3) *Cap. 25. et 26. de sent. Excomm.*
(4) *Conc. Lugd. cap. 1. de homic. in 6.*

1.° Causæ Feudales, si quæ sunt, reservantur laico foro (1).

2.° Bona Clericorum defunctorum jacentia.

3.° Quæstiones de hæreditatibus, etiamsi competitores Clerici sint.

4.° Pro solvendo aere alieno, vel legatis.

5.° Pro reddendis rationibus tutelæ, curæ, alteriusve sæcularis muneris; licet nonnulli alia omnia sentiant.

6.° Pro rebus Regio tributo obnoxiis, rebusve alienari prohibitis, vulgo *Controbanni.* Idem jus esto pro damnis, quæ Clericorum pecus, aliave animalia intulerint.

7.° Ratione cæpti judicii: scilicet ubi quis adhuc laicus litem in foro inchoarit, eaque non peracta, ordinibus initietur, tunc litem in eodem foro, reali tantum actione ad exitum usque persequi cogitur.

8.° Ratione reconventionis: cum scilicet Clericus actorem agens, aliquem ad Laicum Tribunal trahit, ipse in eodem reconveniri recte poterit.

9.° Jure invocandi Principem: scilicet cum civis, qui vim in possessione vel passus est, vel sibi imminere formidat, regium præsidium adversus quoscumque sive Laicos, sive Clericos non denegatur.

---

(1) *Cap. 6. et 7. de foro Competenti.*

TITULUS IV.

De propriis fori Ecclesiastici causis.

I. Quoniam supra diximus, quid sit forum competens, supersunt nunc genera causarum distinguenda, nimirum utrum causa spiritualis sit, an temporalis. Si causa sit Spiritualis, unum forum Ecclesiasticum est forum compètens, sive rei sint Laici, sive Clerici. Porro causæ Spirituales, veluti fori Ecclesiastici propriæ, aliæ Civiles, aliæ Criminales. Inter civiles causas recensentur causæ de Sacramentis, quæ quod spectat ad eorum naturam, et substantiam, Ecclesiasticæ cognitionis sunt. Quare ad Episcopos spectat, quos noverit idoneos ad Sacerdotium promovere, ad excipiendas confessiones destinare, publicæ animarum curationi præficere, ceteraque id genus sexcenta.

II. Causæ omnes de vi Matrimonii, et Sponsaliorum; de præviis denunciationibus; de Sacris ritibus; de Canonicis impedimentis: item quæstiones de contractu, et inde pendentes, aut eo

spectantes: itemque causæ de divortiis quoad torum ad Episcopi forum pertinent. Quæstio quoque natalium, ubi de dubio fœdere Matrimonii constet, ad Episcopum spectare videtur. Quod si in dubio Matrimonii fœdere de facto dumtaxat quæstio oriatur: veluti si Titius sit ex illo Matrimonio natus, quod jure contractum esse constat, cognitio judicis Ecclesiastici non est. Præterea regula juris est: *Judex competens in principali competenter etiam jus dicit in accessorio* (1). Igitur judex Ecclesiasticus, ubi de Matrimonii causa cognoscit, potest etiam ex: gr: de dote, de præstandis alimentis cognoscere (2), nisi contrarium fuerit moribus receptum (3). Ceterum non omnes inferiores judices Ecclesiastici, licet jurisdictionem ordinariam habeant, possunt de causis matrimonialibus cognoscere.

MANTISSA.

Hoc idem in novissimo fœdere inter Pium VII., et Ferdinandum I. Siciliarum Regem articulo XX. sancitum reperitur.

III. Causæ. Beneficiariæ rebus spiritualibus accensentur, atque adeo ad Ecclesiasticum forum spectant, sive de ipsa collatione, sive de beneficiariorum qualitatibus, sive de ipsius beneficii privatione, sive de excitandis, sive conjungendis, sive partiendis beneficiis agatur. Quare semper nefas habitum est laicos judices de beneficiis cognoscere. Et Alexander III. beneficiis privandos esse respon-

(1) *L. III. C. de Judiciis.*
(2) *Cap. 15. de Foro Competenti.*
(3) *Bened. XIV. de Synodo Dioec. lib. VII. cap. 15.*

dit, qui non requisito Episcopi foro, occasione laicæ recognitionis in Anglia beneficia obtinebant (1). Verum Legata pia, et Cappellaniæ mere laicales, quæ in titulum non sunt erectæ, fori Ecclesiastici non sunt: licet Cappellanos ad Missas celebrandas, aliaque officia eisdem adnexa obeunda compellere possit (2).

IV. *Causae jurispatronatus etiam laicalis,* inquit Alexander III. (3), *ita conjunctae sunt, et connexae cum spiritualibus causis, quod nonnisi Ecclesiastico judicio valeat definiri.* Et quamvis juspatronatus, quatenus per dotationem, aut Ecclesiæ fundationem adquiritur, et cum bonis transfertur, rebus temporalibus adhæreat, tamen officio sacro cohæret, vi cujus, patroni sive laici, sive Clerici de suo patronatus jure litigent, sive inter designatos ab beneficium controversia oriatur, judicem Ecclesiasticum adire jusque, fasque est.

MANTISSA.

In Regno Neapolitano tria jurispatronatus genera excipiuntur, Regium nempe, Feudale, et Laicum. Et sane Regii Patronatus causæ ex vetustis Regni moribus olim apud Regios Judices, nunc vero in Curia Cappellani Majoris jussu Regis tractantur. Item ad Regios Judices pertinent Patronatus Feudales in iis tantum causis, quarum decisio ex eo pendet articulo, num Patronatus sit Feudo adnexus. Similiter ad ju-

---

(1) *Cap. 21. ex de jurepatron.*
(2) *Panormit. in cap.* Joannes *de testam. n. 7.*
(3) *Cap. 3. ex. de judic. et concord. cap. VI. art. 4.*

dicem laicum pertinent jurispatronatus laicalis causæ, veluti si disceptetur, num patronatus sit de universitate bonorum. Ipsa enim bonorum universitas, uti est tota hæreditas, secum causas omnes inde pendentes involvit. Hinc res singulæ, veluti prædia particulari titulo quæsita universitatem non continent, et hinc judicium de patronatu dubio, num sit prædio adnexus, judici Ecclesiastico relictum est.

V. Quemadmodum causæ Beneficiariæ, ita et Funerariæ quaestiones Episcopalis fori sunt. Funera enim religioso ritu ducuntur: et cœmiteria ipsa consecrantur. Itaque sive agatur de concedenda, sive de neganda mortuis sepultura, sive de ejusdem electione; item causæ de cadaveris benedictione, de Paræcialis crucis usu, de juribus Funerariis, ad forum Episcopalem pertinent. Verum civilis potestas pro jure suo fünebrem apparatum, funerisque expensas moderatur. His Ecclesiasticis causis olim plures aliæ jure Decretalium accedebant, quas apud Laurentium Selvagium libro III. titulo VI. n.° 6. et seqq. videsis.

VI. Causæ criminales jure Decretalium trifariam dividuntur: nimirum aliæ sunt meræ Eclesiasticæ; uti Hæresis, Schisma, Apostasia, Simonia, illicita Ordinum susceptio, Sigilli Sacramentalis fractio, neglecta in Beneficiis assiduitas, aliæque hujusmodi. Aliae vero mere profanae, uti sunt crimina Rempublicam caedentia; homicidium scilicet, furtum, rapina, et cetera. Aliae demum mixtae, in quibus delicta Religionem simul, et Rempublicam violantia aguntur; veluti adulterium, perjurium, concubinatus, sacrilegium, usurae, blasphemiae. Porro causae mere profanae, et mixtae saltem jure novissimo foro

laicali; causae vero mere Ecclesiasticae foro Episcopali reservatae sunt.

MANTISSA.

Quid de hac re in Regno Neapolitano obtinet, consule Concordatum inter Benedictum XIV., et Carolum Borbonium initum cap. VI. art. 1. et seqq.

VII. Facio nihil alienum a re nostra, summorumque Canonistarum judiciis, si varia, quae quisque a jure sortitur, fora explicem, *domicilii* scilicet, *originis*, *contractus*, *delicti*, *beneficii*, *successionis*, *prorogationis*, et *privilegii*. Et quidem.

1.° Dicitur quis domicilium habere, ubi per multos annos animo permanendi incoluerit. Id quod ex mora decennii, et ex majoris suorum bonorum partis in domicilii locum invectione dignoscitur. Ubi igitur reus domicilium habet, ibi quavis ex causa recte convenitur, sive actione in rem, sive in personam, sive ibi praesens sit, sive absens. Et si quis in duobus locis domicilium habeat, utrobique in jus vocari potest (1).

2.° Originem constituunt natales. *Cives enim in primis facit origo* (2). Itaque ut quis ad forum originis trahatur, non solum requiritur, ut ibi quis fuerit natus, sed ut ibi praesens fuerit (3).

3.° Ex causa contractus potest quis compelli ad satisfactionem in ejus loci foro, ubi contrahendo

(1) *Cap. 15. ex. de Foro Competenti.*
(2) *L. VII. C. de Incolis.*
(3) *Fagnanus in Cap. 1. de Foro Compet. n. 12.*

onus subiit satisfaciendi. Nomine autem contractus veniunt etiam quasi contractus (1).

4.° Ratione delicti potest quis denuntiari, legitimisque pœnis eo loci affici, ubi delictum vel inchoatum, vel commissum est (2).

5.° Ratione beneficii Beneficiarius in controversiis suum beneficium spectantibus, ubi beneficium situm est, legitime convenitur (3).

6.° Ex causa successionis heres licet absens in proprio testatoris defuncti loco conveniendus est. Ubi enim quis hæreditatem adit, ibi cum defuncti creditoribus contraxisse videtur (4).

7.° Ratione prorogationis: scilicet cum quis jurisdictioni judicis incompetentis, ad cujus forum deductus est, litem coram ipso contestando se subjicit (5). Clerici porro judicis laici jurisdictionem prorogare vetantur: et dumtaxat in judicem incompetentem consentire possunt, si is sit Ecclesiastica persona, et Diœcesani Episcopi voluntas accedat (6).

8.° Denique forum privilegii habent Monachi, et Regulares, qui Sedis Apostolicae, aut illius judicis, cui privilegium eos addixit, forum sortiuntur. Ceterum cum Synodus Tridentina multa Regularium exemtionum capita aut abrogasset, aut actioribus finibus circumscripsisset, in hac re ut quis securus procedat, privilegii verba consulenda sunt.

---

(1) *L. 1. C. de Ratiociniis.*

(2) *L. 1. C. ubi de crimin. Innocen. III. cap. 14. de Foro Compet. et. Cap. 2. de Priv.*

(3) *Cap. 3. de tempor. ordin. in 6.*

(4) *L. XXXIV. et XXXVI. D. de Judiciis.*

(5) *L. 1. et 11. D. de Judiciis.*

(6) *Cap. 18. de For. Compet.*

TITULUS V.

De Judice, Actore, et Reo.

I. Judicis nomine is passim venit, qui ad lites dirimendas publica auctoritate constituitur (1). Hinc omnes judices dicuntur habere notionem, h. e. facultatem cognoscendi jure publico constitutam (2). Improprie vero judices dicuntur arbitri, qui ex litigatorum consensu, et compromisso eliguntur. Etenim *privatorum consensus judicem non facit* (3). Quid porro discriminis inter Judicem, et Magistratum, seu Praetorem; quidve inter judicem Ordinarium, et Delegatum intercedat, nos titulo II. hujus libri III., et titulo XVII. libri IV. Institutionum Juris Justinianei fusius diximus.

II. Ex Canonici juris regulis non omnes agere possunt judices, idque vel a natura, vel a jure oritur.

1.° Judices adhiberi a jure vetentur Foeminae, exceptis Reginis ob eminentem, qua pollent dignitatem, et nonnullis in locis, Abbatissis, idque vel ex privilegio, vel ex consuetudine in suas Moniales, Clericosque sibi subjectos juris-

---

(1) *L. LXXXVIII. D. de Judice.*
(2) *L. V. D. de re judicata.*
(3) *L. III. C. de judiciis.*

dictionem exercent; quos et ab Officio, et a Beneficio licet improprie suspendunt.

2.° Servi, Haeretici, Schismatici, Excommunicati, publici Clericorum percussores, illitterati, aliique.

3.° A natura judices esse prohibentur surdi, muti, furiosi, impuberes, minores (1).

III. Actor, et Reus litigatores sunt, quos inter res agitur: et quidem qui litem intendit, Actor; qui vero excipit, Reus nuncupatur (2). Et quamvis jure civili et minor sine Curatoris consensu, et filiusfamilias sine Patris voluntate agere prohibeantur, uterque tamen jure Canonico in causis Beneficiariis spiritualibus, iisdemque adnexis libere agere possunt (3). Monachus sine Abbatis venia agere vetatur, nisi ex peculiari ejusdem facultate extra Monasterium suam vitam traducat.

IV. Antiquitus tam qui agebat, quam qui accusabatur, seu in quem agebatur, Rei vocabantur, ut testatur Cicero (4). Moribus dein receptum est, ut qui agit, Actor, is vero cum quo agitur, Reus diceretur. Porro ubi reus in causa tam civili, quam criminali a judice legitime interrogatur, veritatem fateri, propriumque crimen prodere debere cum Divo Thoma adsentiunt fere ad unum Canonistae (5). Quod si judex non legitime interrogat, reus veritatem fateri non tenetur.

---

(1) *Cap. 41. de offic. et. potest. jud. delegati.*
(2) *L. XIII. et LXII. D. de jurisdict. omn. jud.*
(3) *Cap. 3. de judic. in 6.*
(4) *Lib. II. de Oratore.*
(5) *II. II. Q. 69. art. 1.*

TITULUS VI.

De Episcopalis Curiae Administris.

I. Præcipui Curiæ Episcopalis Administri sunt Officialis, seu Vicarius Generalis, Adsessor, Advocati, Procuratores, Advccatus Fiscalis, et Scribæ. De Officiali, seu Vicario Generali satis libro I. titulo XXV. De reliquis more nostro breviter. Et sane Adsessor ex eo dicitur, quod Magistratui pro tribunali sedenti adsideret, ut illum causas discutientem suo consilio diriget, et in judiciis, sententiisque ferendis veluti manuduceret (1). Qua de re forensi judiciaria ratione in Curias Ecclesiasticas translata, Praelati sive Ordinarii, sive Delegati in causarum cognitione Adsessores sibi adesse jusserunt, modo iisdem indigeant, uti rescripsit Bonifacius VIII. (2).

II. Advocati dicti sunt ab advocando. Et sane antiquitus litigatores apud judicem Episcopum per seipsi actionem instituebant; dein tractu temporis usus invaluit, ut litigantes utpote fori expertes advocatorum clientelæ sese commendarent. Quod munus Clerici in foro Ecclesiastico suscipere non prohibentur. Quamobrem Clerici, ut recte in hoc exercendo munere se gerant, multa sibi ante oculos versentur oportet. Et quidem.

(1) *L. 11. D. Quod quisque juris in alter. statue.*
(2) *Cap. 11. de Rescriptis in 6.*

1.° Nullam causam defendendam suscipiant, nisi prius illius naturam penitus introspiciant, et de ipsius jure adprime instruantur.

2.° Clientibus aperte exponant, num justa sit, an injusta lis, quam adgredi tentant.

3.° Causæ, quam ab initio veluti justitiæ speciem præseferentem susceperunt, et mox injustam noverunt, patrocinium statim dimittant, etiamsi persentiscant alios patronos eam esse suscepturos.

4.° Neque partem adversariam ad transigendum cum suo cliente pertrahant.

III. Procurator ex Ulpiano is est, qui aliena negotia, vel sponte, vel mandato Domini suscipit, et administrat. Et licet jure novo tam Actor, quam Reus, exceptis caussis criminalibus, in judicio per Procuratores comparere possint, tamen in judicium non admittuntur, nisi prius mandatum in scriptis redactum non exhibeant. Porro si mandatum generale est, Procurator potestatem habebit omnes actus exercendi, iis exceptis, qui speciale mandatum requirunt (1). Quæ de Advocati muniis diximus, eadem de Procuratorum muniis intelligantur velim.

IV. Quemadmodum in Curiis Ecclesiasticis civilium Tribunalium ratio, ita et Advocati Fiscales, et Procuratores Officii, seu Promotores emerserunt; ita dicti, quod causas publicas, et communem Ecclesiæ utilitatem patrocinarentur. Quare non pauca recensentur Promotorum munia.

1.° Promotor nullam adgrediatur causam, nisi prius in denuntiata crimina suo studio inquisierit.

(1) *L. XXXIX. D. de Procurator.*

2.° Personas accusatas in judicium contradictorium, uti dicunt, non evocet, nisi causam Vicario prius referat, ut cognoscat, an sine forensi strepitu illam agere expediat, nihilque adgrediatur, nisi re cum Advocato Fiscali communicata.

3.° Causæ instructionem saltem summarie in scriptis Advocato Fiscali eam petenti exhibeat.

4.° Jurejurando se adstringat adversus neminem actionem intentaturum, nisi quem vere delinquentem crediderit.

5.° Suam fidem obliget se neque muneribus, neque odio, aut favore permotum iri, vel ad excessus supprimendos, vel componendum cum delinquentibus in aliquo crimine.

6.° Denique Promotoris siet in Ecclesiasticorum crimina inquirere. Quare Synodorum Sanctionibus cautum est, ut uni Clerici hoc officio fungantur.

V. Concilium Lateranense IV. jussit, ut Ecclesiastici judices tam in ordinario, quam in extraordinario judicio vel publicam personam, vel duos idoneos viros, qui omnia judiciorum acta exscriberent, adhibeant. Porro hujusmodi persona publica nuncupari solet Scriba, et vulgo Cancellarius, cujus officium est omnia judiciorum acta conscribere, eademque fideliter in Tabulariis adservare, ut ex iis veritas semper depromi possit; et acta nulli tradat, nisi ei ab Vicario facultas in scriptis facta sit. Et demum in salariis exigendis Taxam Innocentianam adamussim observet.

TITULUS VII.

De Processu Civili instituendo.

I. Processus civilis ab ea judicii parte incipit, qua judex, oblato prius ipsi ab actore libello, de reo in jus vocando edicit. Dein reo facultas datur, exceptiones si quas habet, proferendi; quas actori jus est per replicationes eludendi. Succedit litis contestatio, et juramentum calumniæ: tum sequuntur probationes; quibus processus jam instructus veluti clauditur; judicique pronunciandæ sententiæ paratur via. Nos de singulis singillatim. Et sane quod ad libellum spectat, libellus qui passim *Instantia* dici solet, est ipsa actoris petitio in scriptis redacta causam ipsam summatim continens, et argumenta contra adversarium concludentia. Qua de re libellus Judicis, Actoris, et Rei nomina, factum, petitionem, petitionisque jus breviter complectitur.

II. Porro libellorum genus in utroque jure duplex est. Alii enim sunt Conventionales, seu Postulatorii, quibus rem nostram actione reali, vel nobis debitam actione personali persequimur. Utrique locum habent in causis civilibus. Alii ve-

ro Accusatorii, quibus crimina referuntur, et denuntiantur. Hinc regula juris: *nemo sive in civili, sive in criminali judicio sine libello recipitur* (1).

III. Jam vero Citatio, seu in jus vocatio alia simplex est, alia vero peremtoria. Simplex merum praeceptum continet, quo reus intra certum diem judici se sistat, nec ante reum facit contumacem, nisi tertio repetatur. Contra Peremtoria, præstituto die, reum comparere jubet; cumque si non veniat, comtumacem reddit. In Peremtoria enim Judex comminatur se, etiam absente parte adversa, cogniturum, nec passurum, ut adversarius ultra tergiversetur. His duabus Citatio realis addenda est, quae fit per rei capturam. Haec in civilibus judiciis locum non habet, nisi actor demonstret debitorem bona non possidere in urbe; atque adeo gravem subesse suspicionem, ne debitor vel solum vertat, vel eo confugiat, unde extrahi non possit.

IV. Ut vero legitima sit Citatio, tria requiruntur

1.° Ut Actoris, et Rei nomina; Citationis causa, et judicii locus exprimantur.

2.° Judicis competentia; unde in Citatione judicis nomen exprimendum est.

3.° Dies, quo reus judici se sistere debet; isque certus sit.

V. Contumax in jure is dicitur, qui legitime in jus vocatus ad judicium venire contemnit: ipseque contemtus Contumacia nuncupatur. Porro duplex contumacia distinguitur; alia scilicet vera, seu expressa; alia tacita, seu praesumta. Prima est, cum quis citatus tribus, aut uno pro tribus

(1) *Can. IX. Causs. 2. Q. I.*

edictis respondere recusat (1). Altera vero est, cum quis in jus vocatus dolo malo, fraudeve latitat, aut, ut citatio ad ipsum perveniat, efficit (2). Igitur qui legitimo impedimento detinetur, dummodo judicem de impedimento certiorem faciat, contumax non est.

VI. Poenae, quibus lex in contumaces animadvertit, sunt litis damnum, expensarum refectio, poena pecuniaria, et actoris missio in possessionem rerum, de quibus quæstio agitur; vel earum, quæ sunt in rei patrimonio pro ratione debiti, si actio est personalis. Quod si reus per annum in sua contumacia perseverarit, judice decernente, Actor verus possessor efficitur super proprietate dumtaxat, parti adversae reservata defensione. Porro caveat actor, ne fructus dilapidet: quod si fecerit, fructus *sequestrandi* sunt; quodque distractum est, in pristinum statum revocabitur. Verum in re Beneficiaria missio in possessionem locum non habet, ne in beneficia detur vitiosus ingressus. Beneficium enim sine canonica Institutione licite obtineri non potest (3).

VII. Quid sit Exceptio, quid Replicatio, quidve Duplicatio, et deinceps, consule quæ docuimus libro IV. Institutionum Juris Justinianei titulis XIII. et XIV. Unum hic auditores monitos volo, ne exceptionum, et replicationum, et deinceps numerus excrescat, esse judicis ex officio certum eisdem modum imponere.

VIII. Cum reus coram eodem Judice ab actore aliquid tanquam sibi debitum petat, Recon-

---

(1) *Cap. 1. de judiciis.*
(2) *Cap. 6. de dolo, et contumacia.*
(3) *R. 1. de Reg. juris in 6.*

ventio est, seu mutua petitio: veluti si Titius Cajum ex stipulationis causa apud Judicem conveniat, Cajus apud eundem Judicem ex causa mutui poterit Titium reconvenire. Sed Reconventio nisi in ipso litis exordio, vel in continenti instituatur, locum non amplius habebit,

IX. Pluribus quidem in causis Reconventio cessat.

1.° In causa criminali, nisi reus suam innocentiam prius non probet (1).

2.° In causa Depositi, nisi reus Depositum prius restituat.

3.° In causa spirituali coram judice laico.

4.° In causis, quæ coram arbitris ex partium compromisso aguntur (2).

5.° In causa Excommunicationis. Excommunicatus enim reconvenire non potest: eo quia actoris officio fungi prohibitus est.

X. Spolium est possessionis, vel quasi injusta privatio. Remedium vero ad hujusmodi possessionem recuperandam dicitur *Restitutio Spoliatorum*. Hujusmodi restitutio species quædam restitutionis est; seu potius est actio per modum exceptionis objecta (3). Jure communi spoliatus ab eo, qui eum spoliavit, prius conveniri non potest, quam restitutionem in integrum receperit una cum fructibus, damnis, et expensis (4). Porro Spoliator non modo is intelligitur, qui per se ἀμέσως spoliavit, sed etiam qui spolium mandavit, vel suo nomine ratum habuit; immo jure Canonico etiam,

---

(1) *Can. I. et IV. Causs. 3. Q. II.*
(2) *Cap. 6. de Arbitris.*
(3) *Cap. 2. de Ord. cognit.*
(4) *Cap. II. de Restitut. Spoliat.*

qui rem accipit vi ab alio ablatam (1). Quas exceptiones hæc generalis regula patitur videsis Caput fin. *de Ordine cognitionis.*

XI. Si nullæ a reo exceptiones opponantur, vel oppositæ ab actore difflatæ sint, ad litis contestationem venitur: unde lis proprie initium habet. Jure Romano lis contestata dicitur, cum ordinato judicio utraque pars dicebat: *testes estote.* Itaque a testibus est litis contestatio. Contestari enim erat, testibus adhibitis, aliquid declarare. Jure hodierno in Curiis Ecclesiasticis recepto lis contestata dicitur, cum judex utrique parti terminum ad probanda incumbentia adsignat (2).

XII. Ex litis contestatione plures oriuntur effectus. Primo malam fidem inducit. Reus enim a lite contestata incipit super jure possessionis dubitare (3). Secundo interrumpit præscriptionem. Tertio fructus desinunt adquiri, et adversario deberi incipiunt. Demum exceptiones dilatorias præcidit, judicisque recusandi adimit potestatem (4).

XIII. Ne fraude, et deceptionibus lites redundarent, jure Decretalium receptum est juramentum propter calumniam; quod litigantes, ipso judice deferente, profitentur se in causa ex bona fide procedere; atque ideo litigare, quia suam causam bonam esse putant (5). Quare non modo actor, et reus, sed etiam ubi judici placuerit, Advocati, Procuratores, Tutores, Curatores ad jusjurandum propter calumniam adiguntur (6).

---

(1) *Cap. 18. de Restitut. Spoliat.*
(2) *Ex Prag.* 3. *de ordine judiciorum.*
(3) *L. x. C. de adquir. poss.*
(4) *L. ult. C. de exceptionibus.*
(5) *L. CCXXXIII. D. de verbor significat.*
(6) *Cap. 6. de juram. calum.*

Verumenimvero juramentum ob frequentiora perjuria tam in laicis, quam in Ecclesiasticis Curiis exolescere caepit.

TITULUS VIII.

De probationibus.

I. Lite contestata, cognitisque a judice ut justis contententium petitionibus, ab actore probationes expromendæ sunt. Itaque probatio definitur: *Veritatis demonstratio per idonea argumenta, et legitima media.* Probatio autem duplex distinguitur; plena scilicet, et semiplena. Prima est, quae tantam fidem facit, ut ad finiendam controversiam satis sit. Altera vero est, per quam rebus positis fides aliqua ab judice possit praestari: eaque major, minorve est, prout magis, minusve ad plenam probationem accedat. Probationes porro ad octo summa capita revocari possunt: quae sunt.

1.° Confessio.
2.° Testes.
3.° Instrumenta.
4.° Jusjurandum.
5.° Ocularis inspectio.
6.° Notorium
7.° Fama.
8.° Præsumtio. De singulis breviter.

II. Nihil magis optandum est, quam proprii oris confessio, ex qua actor quid sibi deinde probandum, quidve in probatis habendum sit, colligit facillime. Porro duplex distinguitur judicialis confessio, tacita scilicet, et expressa. Tacita est, cum positionibus sibi ab adversario positis neque per se, neque per Procuratorem respondeat, vel contumaciter inde discedat. Expressa vero est, cum quis expresse fateatur, vel inficietur id, quod ab ipso in positione quæsitum est. Itaque ubi quis fateatur, sua confessione urgebitur, tanquam re jam probata.

III. Frequentissimo judiciorum usu ad ostendendam rei dubiæ veritatem, testes adhibentur, qui fidem judici faciunt. Quare ut testibus integra fides adhibeatur, necesse est, ut idonei sint, omnique exceptione majores. Hinc duo testes, omni exceptione majores, et in reddendo testimonio concordes plenam faciunt probationem. Et Constantinus M. ob suam erga Episcopalem ordinem observantiam indulsit, ut ad litis decisionem unius Episcopi testimonium fidem plenam faceret (1).

IV. Testes legitime vocati, sed adire renuentes, vel juramentum praestare nolentes mulctae indictione, vel pignoris captione, vel censuris cogi poterunt. Contra qui sponte ad testimonium dicendum prosilit, pro suspecto habendus est. Deinde testes admissos, et juratos Judex vel clam, vel seorsum ab aliis singulatim examinat (2).

V. Instrumenta, sive scripturæ sunt altera probationis species. Porro instrumentum alterum publicum est, privatum alterum. Publicum est,

---

(1) *L. 1. C. Theod. de Episc. Judic.*
(2) *Tit. de testibus.*

quod a persona publica, scilicet Notario secundum leges, et mores receptos conscribitur: quodque ut plenam fidem faciat, opus est, ut duo testes cum eodem adsint, et subscribant. Ad hæc annus, mensis, dies, et locus exprimenda sunt. Publicis Instrumentis accensentur Scripturæ, quæ licet a persona publica non sint scriptæ, tamen publico, et authentico sigillo obsignatæ sunt: veluti sunt scripturae, quae a publicis Episcopi, vel Principis, vel Universitatis, vel Collegii tabulariis eruuntur. Instrumentum vero privatum est, quod sola scribentium, vel contrahentium auctoritate innititur: uti sunt Chirographa debitorum, Apochæ, Codices rationum, Epistolæ. Privato instrumento plena fides non habetur, nisi trium saltem testium subscriptionibus sit munitum: immo testium subscriptionibus destitutum contra scribentem probat, si causa debiti exprimatur.

VI. Deficientibus aliis probationum speciebus ad juramentum devenitur: quod expediendarum litium remedium semper habitum est (1). Definitur autem juramentum. *Divini numinis invocatio in testem rei, quae adseritur.* Porro juramentum triplex est: voluntarium nempe, judiciale, et necessarium. Voluntarium est, quod vel nullo cogente juratur, vel voluntate tantum ejus, cui vel defertur, vel refertur. Defert autem jusjurandum, qui offert alteri jurandi conditionem; refert vero, qui jurandi conditionem sibi oblatam rejicit in offerentem. Judiciale dicitur, quod judice adprobante, pars parti defert, vel refert. Necessarium denique, quod et litium *decisorium* dicitur, a judice ad litem deciden-

(1) *L. 1. D. de Jurejurando.*

dam ab utroque litigante praestandum jubetur. At quoniam usus juramenti homines religiosos supponit, e re Christiana esset usum juramenti omnino aboleri.

VII. Non levis ponderis est *Ocularis* inspectio, quae fit vel per judicis accessum, vel per personas ad id muneris a jure destinatas. Hujus præcipuus usus est in iis, quae oculis subjiciuntur: uti est in judicio finium regundorum, in novo opere ædificando, aliisque similibus.

VIII. Præsumtionibus quoque probationes in judiciis fiunt. Præsumtionis nomine designatur anticipata de re dubia opinio ex argumentis, indiciis, et conjecturis exorta, quae pro veritate habetur, donec oppositum doceatur. Porro aliæ sunt *hominis*, seu judicis, aliæ juris. Praesumtio hominis est opinio in alicujus mente ab indiciis nata, quæ nulla lege continetur. Juris præsumtio alia est juris tantum, alia *juris, et de jure*. Præsumtio juris tantum in jure continetur expressa, sed contrariæ probationi locum relinquit. Ita quod Episcopo ab extraneis relinquitur, intuitu Ecclesiæ, non vero personae relictum intelligitur. At præsumtio juris, et de jure non modo habetur in corpore juris, sed ita certa censetur, ut contrariæ probationi nullum locum relinquat. Ita contractum matrimonium praesumitur, ubi quis post inita Sponsalia cum Sponsa concubuit (1).

(1) *Cap. 3o. ex. de Sponsalibus.*

TITULUS IX.

De processu criminali ecclesiastico jure novo.

I. Jam vero jure Decretalium judicia criminalia tribus modis instituuntur; accusatione scilicet, denunciatione, et inquisitione. Accusatione crimen per accusatorium libellum apud competentem judicem defertur, facta in ipsum inscriptione, et subscriptione. Ea per ipsum accusatorem instituenda est, qui libello suipsius, judicis, et accusati nomina; item criminis speciem, locum, et diem, quo delatus crimine se obstrinxit, exprimat. Alter judicium criminale instituendi modus Denunciatio dicitur. Ea occulti criminosi ad Episcopum deferuntur, ut admonitionibus resipiscant. Fit autem denunciatio secreto, et sine libello: et qui denunciat in crimen subscribere non cogitur. Verum moribus receptum est per solam denunciationem criminale judicium institui; ac proinde hodie denunciatio ab accusatione vix quidquam differre videtur. Tertius denique criminale judicium instituendi modus *Inquisitio* est, quam Judex ex officio sine ullo accusatore adversus eum instituit, qui de crimine per publicam famam arcessitur. Hanc judicium instituendi rationem Innocentius III. invexisse videtur, ut Clerici ob corruptos mores corriperentur; contra quos accusatio haud fa-

cile institui poterat. Ceterum hodiernis moribus inquisitio in utroque foro et civili, et Ecclesiastico ordinarius procedendi modus habetur. Publici enim accusatores non solent, nisi prævia denunciatione accusationem instituere.

II. Porro accusatione, aliove modo judicio instituto, Judex, audito Fisci Promotore in crimen inquirit; hoc est *Informationem* exequitur. Duo hic judex potissimum spectat: alterum, delictum fuisse admissum; alterum, quis illud admiserit: quorum illud *delictum in genere*, hoc *delictum in specie* dicunt Forenses. Ad hæc duo probanda testes, tabulæ, indicia adhibentur. Tum adjuncta omnia personarum, ætatis delinquentis, temporis, loci, aliaque hujusmodi adnotanda, ne aut reo defensiones suppeditentur, vel minuantur, aut poena mitior, graviorve irrogetur.

III. Inquisitione peracta, Judex religione sua decernat, utrum reus in carcerem detrudi, an fidejussoribus, vel sibi committi, vel tantum in jus venire debeat interrogationibus responsurus (1). Si judici videbitur reum non esse carceribus mancipandum, eum vel *personali*, seu ad informandum, vel *simplici*, sive ad deponendum citatione in jus vocabit. Prima citatio in gravioribus, altera in levioribus criminibus locum habet. Simplex quoque citatio est, quae vocatur *ad dicendam causam quare*, quae decerni solet, ubi excommunicatio, vel alia censura irroganda est. Demum in omni citatione judicis nomen, judicii locus, causa citationis, et terminus adscribi debet, quo Reus se judicio sistat.

IV. Reus in jure constitutus judici interroganti

---

(1) *L. 1. D. de Custodia Reorum.*

responsurus juramentum de veritate dicenda emittet; ejusque examen coram Fisci patrono instituetur. Quod si reus objectum crimen negabit, de perjurio arguetur, simulque monebitur se ad veritatem dicendam divino, humanoque jure obstringi. Absoluto examine, fit litis contestatio inter Fiscum adfirmantem, et Reum crimen negantem. Tum testes iterum citantur, et jurati suas depositiones clam reo emittunt. Ast ubi testes rei nomen, et prænomen ignorant coram ipso reo testimonia proferunt, quod vulgo dicitur *Confrontatio*. Testium in secunda depositione aliquid, quod in prima asseruerant, mutantium testimoniis nulla fides habetur: atque adeo iidem tanquam falsi, et perjurii nomine sese obstrigunt.

V. Post repetitas testium depositiones reo certae induciae constituuntur, intra quas se defendat. Interim acta judicialia, quæ reo traduntur, ut objectum crimen diluat, publicantur. Tum reus suæ defensionis articulos, et testes producit, qui ab ipso judice simul cum Fisci patrono, et privato accusatore citantur. Testibus examinatis, omnia acta publicantur, et utrique parti fit potestas ea inspiciendi. Interim non prohibetur reus novas adferre defensiones, novosque articulos procudere; id quod neque Fisco, neque privato accusatori licet, nisi de novo crimine accusare velint.

VI. Jam vero si reum sua crimina inficiantem graviora indicia urgeant, tunc tormenta adhiberi solent. Tormenta Patribus ignota, sacris Canonibus invita, ex male intellecta Alexandri III. sententia in forum Ecclesiasticum invecta sunt; at dein prorsus in desuetudinem abierunt (1).

(1) *Cap. 1. ex. de Deposition.*

TITULUS X.

De sententia, de re judicata, de sententiæ executione.

I. Jam partibus auditis, jam causa perorata, a judice competente sententia pronuncianda est: quæ quidem definitur: *Pronunciatio judicis condemnationem, absolutionemve continens, rei controversae finem imponit.* Ea vero duplex est: interlocutoria scilicet, et definitiva.

1.° Interlocutoria non super universo negotio fertur, sed super aliquo emergenti inter causæ cursum negotio, puta in danda, negandave exceptione: quæ quidem etsi ad causam pertineant, finem tamen causæ non imponunt. Hinc Interlocutoria dicitur, quia judex interea loquitur, nec *definitive* de causa pronunciat.

2.° Definitiva est, quæ totam controversiam dirimit damnando, vel absolvendo. Rursus interlocutoria duplex est, quarum altera *Simplex* dicitur; altera vim difinitivæ habet. Illa, quæ ad judicii ordinem spectant, præscribit: hæc articulum aliquem incidentem, unde litis resolutio pendet, decidit: cujusmodi est, qua judex peremtoriam exceptionem vel admittit, vel rejicit (1).

---

(1) *Rosa Prax. Crim. lib. 1. Cap. 8.*

His positis judex pro Tribunali sedens Christi nomine invocato, nulloque partium studio abreptus sententiam libello consentaneam ex allegatis, et probatis emanat. Verum ne qua fraus sententiae fiat, eam de *Scripti* recitatione proferat, ita ut sententiae nomen habere non videatur, quæ scripta non fuerit. Quam propterea per appellationis sollemnitatem rescindi non oporteat (1). Ceterum ut sententia definitiva litem omnino perimat, non modo de principali controversia pronunciari debet, sed et de accessionibus, cujusmodi sunt litis sumtus. Id inde factum, ne lis ex lite oriatur (2).

II. Sententia rite perlata, nisi ab ea fuerit intra decem dies appellatum, in rem judicatam transit, atque executioni demandanda est. Recte igitur res judicata pro veritate habetur (3). Verum nonnullæ sunt sententiæ, quæ in rem judicatam nunquam transeunt. Et quidem

1.° Si a judice incompetente, vel si a judice quidem competente, sed contra solitum judiciorum ordinem pronunciata est (4).

2.° Si contra jus expresse constitutum, aut contra priorem sententiam, quæ in rem judicatam transivit, prolata est (5).

3.° Si a corrupto judice, vel ex falsis instrumentis proferatur (6).

III. Ubi sententia in rem judicatam transit, exe-

(1) *L. Statutis. 3. C. de Sent. ex. brevic. recit.*
(2) *L. 3. C. de fruct. et litium expens.*
(3) *L. XXVIII. D. de R. J.*
(4) *Cap. 1. ex. ut lite non contest.*
(5) *Cap. 8. de Sent. et re judic.*
(6) *L. v. C. Si ex falsis instrum.*

cutioni mandanda est. Si de in rem actione agatur, possessor rem restituere statim cogitur, si vero de actione in personam, quatuor mensium spatium reo dantur judicati faciendi causa, nisi secus judici videbitur. Quod si pignora capi oporteat; primum res mobiles; dein immobiles; postremo debitorum nomina capientur. Ubi vero debitori nulla sunt pignora, in carcerem conjicitur, quo non liberabitur, nisi aut solutione, aut bonorum cessione facta (1). Porro qui sententiam tulit, idem et exequi debet, si judex fuerit ordinarius; nisi executio extra judicantis territorium facienda sit. Tunc enim adeundus est judex territorii illius. Si vero sententia a judice delegato sit lata, executionem accipiet ab Ordinario Delegante, uno excepto delegato Summi Pontificis, qui ob dignitatem potest vel per se suam sententiam exequi, aut alteri exequendam committere. Quoniam vero sententia inter alios lata jus non inducit contra tertium non auditum, ideo potest ille tertius executionem impedire, aut suspendere per appellationem, donec de suo jure docuerit (2). Denique rei judicatæ exequendæ gratia judex apparitoribus utitur, qui *Executores litium* dicuntur. Quod si judex vi destituitur civilis potestatis auxilium implorabit.

---

(1) *L.* Qui bonis. *1. C. qui bon. ced. poss.*
(2) *Cap.* Cum supra *de senten. et re judic.*

TITULUS XI.

De appellationibus.

I. Rei judicatæ auctoritas per appellationem suspenditur, quæ victis contra sententiam ordinarium remedium suppeditat. Itaque appellationis nomine venit *ab inferiore judice ad superiorem facta provocatio, ut is de causa amplius cognoscat, et sententiam prius latam corrigat, in meliusque reformet*. Apud veteres non una, sed triplex erat appellationis species: quarum una *confugium* audiebat, eaque erat, ubi sententia non a competente judice, non servato juris ordine, nec ad Ecclesiastici canonis normam lata fuisset. Altera *provocatio* dicebatur, eratque cum ab Episcopi sententia tanquam injusta, inspecto causæ merito, querela deferebatur; tunc a minori ad majorem auctoritatem causa ipsa devolvebatur, e. g. ab Episcopo ad Synodum, a Synodo breviori ad pleniorem. Tertia appellationis species ad civilium legum normam constituta est, qua legitima inferioris judicis auctoritas agnoscitur, et superioris auctoritas imploratur, simulque de sententiæ tantum errore defertur querela; quæ quidem et extra Synodum, constitutis judicibus, erectisque Episcopalibus Curiis, veluti ordinariis Tribunalibus rece-

pta, discussa definita esse solebat: hæcque appellationis species strictiori notione *Appellatio* nuncupatur. Harum trium appellationis specierum exempla passim in antiquis Ecclesiasticis monumentis occurrunt. Et sane secundum veteris disciplinæ regulas ab Episcopi sententia in causis Ecclesiasticis provincialis Synodus ordinario jure appellabatur, ut statuit Synodus Nicaena (1). A Synodo provinciali breviori ad Synodum pleniorem appellari posse concessit Synodus Antiochena (2). Et in Oriente per Concilia, Constantinopolitanum I., et Chalcedonense sancitum est, ut Patriarcha, vel Exarchus suorum Metropolitanorum causas in Synodo Diœcesana reciperent, ac definirent (3); id quod magis sub Justiniano firmatum est (4). Demum quamvis de appellationibus ad Summum Pontificem variæ inter doctos motæ sint controversiae, tamen apud omnes sanioris disciplinæ studiosos incompertis est appellationes a quocumque sive Orientalis, sive Occidentalis Concilii Provincialis judicio ad Sedem Apostolicam delatas fuisse, ibique discussas, ac definitas. Ipsa enim naturalis ratio dictat ab inferioribus judicibus superiorem appellandum.

II. Porro intra *fatales* dies et interponi, et expediri appellationem oportet, ita dictos, quod eorum lapsu veluti fato quodam illa perimatur. Interponendæ appellationi decem a Justiniano dies fuerunt præstituti, a sententiæ recitatione numerandi (5): quod jus Innocentius III. confirma-

(1) *Can. v.*
(2) *Can. XII.*
(3) *Conc. Cpolit. can. II. et Chalc. can. IX. et XVII.*
(4) *Novella CXXIII. cap. 22.*
(5) *Novell. XXIII. cap 4.*

vit (1). Verum hoc tempus nequaquam currit ignoranti, nec ei cui interim deest, coram quo appellet. Et fortasse ita statuit Justinianus, quod partes sententiæ recitationi præsentes supponeret. Post institutam appellationem judex, ad quem appellatum est, litteris datis, judicem unde appellatum, non procedere jubet in causa, et ad se acta transmittere. Introducta appellatio anno, aut ex justa causa biennio et instrui, et finiri debet. Sed hodie ob litium frequentiam appellationes praescripto tempore expediri nec possunt, nec solent.

III. Appellatione interposita, inferioris judicis jurisdictio suspenditur, atque omnia in eo statu manent, quo pronunciationis tempore fuerunt (2). Quod si ab inferiore judice fuerit aliquod innovatum (ea innovatio *attentatum* audit) id a superiore judice primum omnium corrigetur. Tum ex integro de controversia cognoscitur, novo termino litigatoribus præstituto *ad non posita ponendum, et ad non probata probandum.* Ceterum sunt nonnulli casus, in quibus per appellationem a definitiva executio sententiæ non suspenditur. Ita appellatio a sententia excommunicationis, suspensionis, et interdicti effectum latæ censuræ non impedit (3). In censuris enim executionem secum trahit ipsa sententia. Idem in causis correctionis, et emendationis morum locum habet: nisi formam in talibus causis servandam Antistites excesserint (4).

---

(1) *Cap. xv. ex. de sent. et re judic.*
(2) *L. III. C. de Appell.*
(3) *Cap. xx. de Sent. excom. in 6.*
(4) *Cap. XIII. ex. de offic. Ord. Consule Espenium P. III tit. 10. cap. 3.*

IV. Præterea ab inferiore judice ad proxime superiorem appellatur. Appellatio porro per gradus interponi debet. Per saltum enim interposita ad eum remittitur, ad quem proxime fuerat deferenda. Ita ab Archidiacono, qui ordinariam habet jurisdictionem, Episcopus, ab Episcopo Metropolitanus, a Metropolitano Patriarcha, a Patriarcha Romanus Pontifex appellatur. Tantum ad Romanum Pontificem, omissis inferioribus judicibus appellare licet (1).

V. Coronidis loco heic memorare non erit abs re appellationem, quæ *tanquàm ab abusu*, *Recursus ad Principem*, *et Regia protectio* dici solet. Ea sane nihil aliud est, nisi querela ad Principem delata contra judicem Ecclesiasticum, qui potestate sua abutitur. Per hujusmodi appellationem Sacerdotii jura non attentantur, sed tantum de facto quæritur: an scilicet Ecclesiasticæ regulæ, et judiciorum ordo fuerint violata. Sane Constantinus M. Athanasio postulante, de vi in Synodo Tyria ei illata cognoscere non dubitavit. *Nihil aliud postulavit Athanasius, quam ut vos convocari juberem, quo, vobis praesentibus, quae per vim passus est, conqueri posset* (2). Nemo autem in dubium revocare poterit, quin ad Reges etiam pertineat Ecclesiasticos canones adversus eos tueri, qui sua potestate abutuntur in Ecclesiæ, et Regni detrimentum.

---

(1) *Cap.* Si duobus *7. de Appellat.*
(2) *Athan. Apolog. 11.*

TITULUS XII.

De delictis ecclesiasticis.

I. Ab primis Ecclesiæ incunabalis ad sæculum XII. usque cum nulla inter forum internum, et externum fuerit distinctio, crimina omnia Canonicis poenitentiis fuerunt expiata. At sæculo XII. ad finem vergente, inducto interni fori ab externo discrimine, strepituque forensi in Ecclesiasticas Curias invecto, et Canonicis poenis ad vindictam sive corporalem, sive pecuniariam forensi ratione inflictis, emersit etiam criminum distinctio; per quam alia Ecclesiasticæ tantum jurisdictioni, alia civilibus Magistratibus, alia vero veluti in utriusque fori confinio posita utrisque cesserunt. Qua de re factum est, ut criminum quædam *Ecclesiastica*, quædam *Civilia*, et quaedam *Mixta* appellarentur. Ecclesiasticis criminibus religio, et fides directe laeditur; eorumque natura ex canonicis regulis determinatur, qualia Apostasia, Haeresis, Schisma, Simonia, Sacramentorum profanatio, neglecta in Beneficiis assiduitas, et alia id genus. Civilia sunt, quae directe impetunt Rempublicam, nec aliquid habent spirituale, nisi criminis in

foro interno absolutionem, et poenitentiam, qualia homicidium, plagium, peculatus, furtum. Demum mixta, seu communia, quae eodem tempore Rempublicam, et Religionem afficiunt, qualia esse dicuntur Adulterium, Concubinatus, Sacrilegium, Sortilegium, foenus. Nos, omissis civilibus, et mixtis criminibus, praecipuas tantum Ecclesiasticorum criminum species percensebimus, poenasque eadem crimina comitantes breviter indicabimus.

II. Apostasia, quae est ab *απο procul*, et *ιστημι sto*, definitur: *Christianae Religionis desertio*: quae plerumque comitem habet ad aliquam falsam sectam transitum: ita ut Apostata a Christiana Religione ad Atheismum, Judaismum plerumque deficiat. Delictum hoc sane atrocissimum omnium est, quo quis non unum, aut alterum, sed omnia Christianae fidei *δογματα* ejurat. Olim qui vi, aut metu persecutionis ad Ethnicos deficiebant, *Lapsi* vocati sunt. Porro *Lapsi* erant, vel *Thurificati*, qui Idolis thus, vel vinum adolerent: vel *Sacrificati*, qui carnes Simulacris Deorum immolatas manducarent: vel *Libellatici*, qui ab Ethnicis Magistratibus libellos obtinebant, ut a præstando Diis cultu liberarentur. His accensendi videntur, qui superstitiosos Gentium ritus foverent, vel imitarentur. In eos, qui sponte, severius; qui vero vi, aut metu perculsi a Christiana Religione deficiebant, mitius Ecclesia animadvertere solebat. Quinimmo Apostatis ultroneis Synodus Iliberitana ad finem usque vitae communionem denegavit (3).

III. Cum Apostasia, Theodosio imperante, in-

---

(1) *Can. II. et XLVI.*

ter publica crimina esset relata, etiam jure civili poenæ in Apostatas constitutae sunt. Itaque Apostasis testamenti factio, et jus ex quovis testamento capiendi (1), ipsisque donandi facultas ademta sunt. Aliquando in exilium pulsi; at semper perpetua infamia notati (2). Et si quis servum, ingenuumve, invitum, improbave suasione ad Idolorum cultum traduxerit, capite damnabatur (3).

IV. Præterea sunt et aliae duæ Apostasiæ species latiori sensu si dictae; Apostasia scilicet ab Ordine Clericali, et Apostasia a Religione Regulari.

1.° Ordinum desertores Synodus Chalcedonensis anathemate percellit (4). Jure novo infames habentur, et si moniti non resipiscant, depositionis poena afficiendi sunt (5). Interim suspensionis poena mulctantur, inhabilesque ad Beneficia consequenda fiunt (6). Verum id de Clericis sacris Ordinibus initiatis intelligas velim.

2.° In Monachos Apostatas variae etiam poenae sancitae sunt, quae non tam ex jure communi, quam ex ipsorum constitutionibus petendæ sunt. Hic non est omittendum Monachos transfugas sacros Ordines suscipientes, etsi suo Abbati reconcilientur, in suscepto Ordine ministrare vetari, nisi Summus Pontifex veniam concedat (7).

---

(1) *L. I. C. Theod. de Apost.*
(2) *L. V. C. Theod. de Apost.*
(3) *L. V. C. Theod. de Apost.*
(4) *Can. VII.*
(5) *Can. V. caus. 21. Q. IV.*
(6) *Clement. II. de vita, et honest. Cler.*
(7) *Cap. V. ex. de Apost.*

V. Haeresis αἵρεσις a verbo Graeco αἱρέω, quod sua notione *eligo* significat, apud Catholicos recte definitur: *voluntarius error intellectus in fide cum pertinacia voluntatis.* Itaque ut Haereticus quis dicatur, satis non est, ut errorem evomat, sed necesse est, ut ψευδογματι *falso dogmati* sciens prudens adhaereat. Quare errantem in fide per ignorantiam neque excommunicationi, neque poenis in haereticos sancitis obnoxium fieri convenit inter Catholicos. Hinc ad rem Augustinus: *errare possum, sed haereticus non ero* (1). Contra haereticis adnumerandus est, non solum qui externis signis semet haereticum prodet, sed etiam qui de haeresi gravem suspicionem ingerat. Hinc ex Concilio Tridentino (2) in fidelem excommunicatum, qui *post legitimas monitiones non resipuerit; et obdurato animo censuris innexus in illis per annum insorduerit, tanquam de haeresi suspectum procedi potest.*

VI. Prima poenarum, quibus Ecclesia haereticos afficit, est Excommunicatio latae sententiae (3), quam etiam subeunt eorum fautores, quique illos exceperint, aut in loco sacro tumulaverint, aut cum illis in sacris communicaverint (4).

2.ª Depositio ab Officio, et Beneficio, si Clericus fuerit (5).

3.ª Irregularitas cum infamia; quibus subjiciuntur etiam eorum filii usque ad secundum

---

(1) *Lib. I. de Bap. cap. 18.*
(2) *Sess. XXV. Ref. c. 3.*
(3) *Cap. VIII. IX. et XV. de Haeret.*
(4) *Conc. Laod. can. XIX.*
(5) *Cap. IX. de Haeret.*

gradum per lineam paternam; per maternam vero ad primum usque; modo parentes aut in haeresi maneant, aut in hæresi decesserint (1). Infamia quoque, et irregularitate in haereticorum receptores, et fautores Ecclesia animadvertit.

4.° Privatio Ecclesiasticae Sepulturae.

5.° Prohibitio testimonium dicendi adversus fidelem in causa Ecclesiastica (2).

VII. Potiores poenas, quibus Piissimi Imperatores haereticos coercuerunt, hic dabimus.

1.° Affecerunt eos infamia, et publicatione bonorum, quae fisco addixerunt.

2.° Eis factione testamenti, potestate donandi, et contractus quoscunque ineundi interdixere: eosque ex testamento capiendi, donationesve accipiendi haud capaces voluere (3).

3.° Fridericus II. hæreticos poena mortis, et cadaveris ustulatione perculit; adversus vero hæreticorum fautores exilium, bonorum publicationem, et infamiam, qua etiam eorumdem filios affecit, indixit (4).

VIII. Cum Schisma a Graeco nomine σχιζω sit, scissionem, seu divisionem denotat; et recte a D. Thoma definitur (5). *Divisio, qua quis ab Ecclesiae Catholicae communione seipsum separat* : illudque duplex est, particulare scilicet, et universale. Particulare est, ubi dissidium inter quosdam Episcopos exoriatur, et voluntatum alienatio, salvis tum fide, tum cum Eccle-

---

(1) *Cap. xv. de Haeret. in 6.*
(2) *Codex Africanus can. cxxix.*
(3) *Tit. de haeret. in utroq. Codice.*
(4) *Const.* Inconsulitem *de haeret. et Patarenis.*
(5) *II. II. Q. 39. ar. 1.*

siae Capite, Romano Pontifice communione. Hujusmodi fuit Schisma IV. saeculo inter Episcopos Orientales exortum; utrum una, an tres in Deo hypostases dicendae essent: et tamen utriusque partis Episcopi erant Catholici. Generale vero est, quo subjectio, et obedientia Romano Pontifici denegatur; et hinc vinculum Ecclesiasticum cum Episcopis Romano Pontifici adhaerentibus dissolvitur. Ceterum cum Schisma aliquam plerumque hæresim conjunctam habeat, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur, mirum non est, si Schismatici tum jure Canonico, tum jure Civili iisdem, ac hæretici poenis afficiantur.

IX. Postremum inter Ecclesiastica delicta locum habet Simonia, sic dicta a Simone Mago, qui impertiendi dona Spiritus Sancti potestatem pecunia emere tentavit (1). Definitur autem: *Studiosa voluntas emendi, vendendi, vel commutandi rem spiritualem, vel spirituali adnexam pretio temporali.*

1.° Dicitur *Studiosa voluntas*, ut indicetur non externo tantum opere, sed sola mente Simoniam posse admitti: immo et ab intentione operantis eam potissimum pendere.

2.° *Emendi, vendeudi, commutandi*; quibus verbis non solum quicumque contractus nominatus, sed etiam alii contractus sive innominati, sive onerosi, sed non gratuiti exprimuntur; sive res pro alia detur, ut *pretium*, sive detur, ut *motivum*, ut *finis*, ut *compensatio*.

3.° *Rem spiritualem.* Haec enim est materia Simoniae, quae cum re temporali commutatur. Et sane res vel natura sua spiritualis est, ut gra-

---

(1) *Act. VIII. v. 8.*

tia, dona Spiritus S.; vel ex Ecclesiae institutione, ut collatio tonsurae, Sacramentalia, et cetera.

4.° *Aut spirituali adnexam.* Id quod tripliciter fieri potest: *antecedenter*, cujusmodi est juspatronatus, quod praecedit praesentationem ad Beneficium: *concomitanter*, ut est intrinsecus corporis labor in sacris functionibus peragendis: *consequenter*, ut jus percipiendi fructus Beneficii, qui consequuntur Officia Ecclesiastica.

5.° *Pretio temporali.* Hoc nomine venit omnis res, quae pretio extimatur, quæque trifariam ita dividitur, ut alia sit munus a *manu,* alia munus *a lingua*, alia munus ab *obsequio.* Munus a *manu* est pecunia sive data, sive promissa, et quae illius vicem praestant, scilicet mobilia, immobilia, corporalia, incorporalia, promissiones, obligationes. Munus a *lingua* est laus, adsentatio, aliaque hujusmodi erga illum, qui spiritualia confert. Munus ab *obsequio* est servitus indebite praestita. Et quamvis munus quid gratuitum indicet, hic tamen locum debiti pretii habet.

X. Porro Simonia alia est juris divini, sive naturalis, alia juris humani, seu Ecclesiastici. Prior est pactio, vel commutatio rei temporalis pro re, quae jure naturali, et divino spiritualis est, veluti Sacramenta, potestas ordinis, et jurisdictionis, ejusque usus. Posterior est, quae circa res jure positivo, seu Ecclesiastico inter spiritualia relatas admittitur: veluti est Beneficii permutatio privata auctoritate inter partes facta. Hanc Simoniae speciem nonnulli quasi Simoniam appellant. Verum inter Simoniam juris divini, et Simoniam juris Ecclesiastici distinguendum est. Quandoquidem posterior Simoniae species consuetudine, lege, vel dispensatione obnoxia est mutationi; haud vero illa prior. Praeterea

Jus. Can. 20

Simonia tam juris divini, quam juris humani iterum dispescitur in mentalem, conventionalem, realem, et mixtam.

1.° Mentalis est, qua licet res temporalis pro spirituali detur, aut accipiatur, tamen nulla pravæ voluntatis signa exterius expromuntur, eaque uni Deo punienda relinquitur.

2.° Conventionalis est, cum de re spirituali, vel de re spirituali adnexa pactio, nulla rei traditione accedente, initur.

3.° Realis, seu completa est, cum rei traditio utrinque saltem ex parte secuta est.

4.° Mixta denique, seu incompleta habetur, cum inita pactione, una tantum ex parte tradita res est. Allatis Simoniæ speciebus additur Simonia Fiduciaria, seu Confidentialis, quae fide alterius innitiur, fitque per pactum contracta efiduciae, et locum habet in resignatione, collatione, electione, et praesentatione Beneficiorum, admittiturque quatuor modis *per accessum, per regressum, per ingressum, et per pensionem.* Accessus est, cum quis aliquem ad Beneficium nominat, praesentat, eligit, illudve alicui confert eo pacto, ut electus idem Beneficium sibi, aut alteri, cum idoneus fuerit, resignet. Regressus est, cum quis Beneficium, quod jam possidet, ea conditione resignat, ut resignatarius illud idem vel sibi, vel alteri restituat. Ingressus vero est, cum quis Beneficîum sibi collatum, sed ejus possessionem nondum adeptus est, eo pacto resignat, ut in ejus postea possessionem ingrediatur, si aut resignatarius moriatur, aut Beneficium dimittat. Per pensionem denique admittitur, cum quis Beneficium eo pacto resignat, permutat, confert, ut ex eodem Beneficio pensionem, aut fructuum partem percipiat.

XI. Ex dictis facile colligitur Simoniam quatuor in rebus admitti posse:

1.° In Sacramentorum administratione, aliisque sacris functionibus.

2.° In beneficiis Ecclesiasticis.

3.° In ingressu Religionis adprobatae, aut religiosi habitus susceptione, vel professione.

4.° In his, quae rebus spiritualibus adnexa sunt.

XII. Simoniae crimen utpote gravissimum Ecclesia nunquam non est gravissimis poenis prosequuta. Et sane jure veteri in Clericos depositione, quae perpetua erat, et in cujus locum suspensio successit, in Laicos vero excommunicatione animadversum est (1). Sed jure novo neque mentalis, neque conventionalis Simonia, sed tantum realis, et confidentialis poenis gravioribus percelluntur, easque incurrunt Simoniaci in ingressu religionis, in ordinatione, et in beneficiis.

Poenae in ingressu Religionis sunt.

1.° Excommunicatio Papae reservata, qua plectuntur tam dantes, quam accipientes (2).

2.° Suspensio ab omnibus actis Capitularibus, quae spectant Ecclesiasticam jurisdictionem.

3.° Detrusio in arctius Monasterium, sed post judicis sententiam (3).

Poenae, quibus in ordinatione afficiuntur Simoniaci, sunt.

1.° Excommunicatio Papae reservata, quam subeunt et qui ordines confert, et qui ordinibus, vel etiam prima tonsura initiatur, et mediatores.

2.° Ordinatus, qui *scienter* Simoniacus est, etiam illorum Ordinum, quos legitime susceperat,

---

(1) *Thomass. P. III. lib. I. cap. LV. et seqq.*

(2) *Extrav.* Sane *de Simonia.*

(3) *Cap. XI. de Simonia.*

suspensionem incurrit. Qui vero ordines contulit, per triennium non modo ab omnium ordinum, et primae tonsurae collatione suspensionem patitur, sed etiam exercitio Pontificalium, et ingressu Ecclesiae interdicitur (1).

Poenae in Beneficiis simoniace collatis sunt.

1.° Excommunicatio Papae reservata, cui subjacet, qui Beneficium contulit, qui suscepit, quique procuravit (2).

2.° Irrita est electio, praesentatio, collatio, et fructuum perceptio etiam ante judicis sententiam.

3.° Inhabilitas ad idem beneficium obtinendum, et ad quodcumque aliud consequendum (3).

4.° Infamia, qua et emtor, et venditor, et interventor percelluntur (4). Simoniaci fiduciarii praeter enumeratas poenas, quibus afficiuntur, incurrunt quoque Beneficiorum privationem, quae ante admissam fiduciam consecuti fuerint; et quidem ante judicis sententiam. Deinde hujusmodi beneficiorum collatio ad R. Pontificem devolvitur. Praeterea collatores incurrunt interdictionem ab Ecclesia. Denique ad hujusmodi poenas promerendas satis est, ut contractus fiduciae ex una tantum parte sit completus.

---

(1) *Sixtus V. Bulla* Sanctum, et Salutare.
(2) *Extr.* Cum detestabile *de Simonia.*
(3) *Sixtus. V. Bulla.* Sanctum, ac Salutare.
(4) *Innoc. II. Concil. Lateran.*

TITULUS XIII.

De poenis ecclesiasticis.

I. Satis de delictis, pauca de pœnis Ecclesiasticis dabimus. Et sane antiquitus inter poenas Ecclesiasticas numerabatur fustigatio, seu flagellatio; eleemosynarum largitio; in monasterium detrusio, cui Innocentii III. tempore poena carceris successit; et depositio, quæ aliquando *Degradatio*, et aliquando *Deordinatio* nuncupata in antiquis monumentis reperitur. Porro Depositio definitur: *Ecclesiastica poena, qua Clerici propter crimen in perpetuum exercitio Ordinum sacris functionibus, et beneficiis in totum exuuntur.*

II. Jure Decretalium non parum discriminis inter *Depositionem*, et *Degradationem* interjectum est. *Depositio* enim, quae et *simplex*, et *verbalis* dicitur, est, qua per solam judicis sententiam Clericus sine sollemniis ab officio deponitur: sollemnis vero, seu strictius Degradatio est, qua qui prius depositus est, certo quodam ritu sacris vestibus per Episcopum spoliatur. Hinc factum est, ut quis per degradationem Clericalia privilègia, minime vero per depositionem amittat. Deinde ad degradandum Episcopum Episcopi duodecim; ad Presbyterum sex; ad Diaconum vero tres tantum satis sunt. Quod si fuerint Clerici inferioris ordinis, Episcopus pro-

prius eos e suo gradu dejicit (1). At quid si Episcoporum numerus haberi non possit? Synodus Tridentina (2) statuit, ut Episcopus ad Presbyteri, alteriusve Clerici e suo gradu dejectionem loco Episcoporum totidem Abbates *usum* Mitræ, et Baculi habentes, aliosve dignitate, ætate, scientiaque commendabiles advocet. Cœrimonias, quibus hujusmodi res paragitur, descriptas invenies in Romano Pontificali.

TITULUS XIV.

De Ecclesiasticis Censuris.

§. I. Censura Ecclesiastica quid?
II. Quomodo Censura dividitur?
III. Quis a Censuris absolvit?
IV. Quae Censurarum materia?
V. Quid Excommunicatio jure veteri?
VI. Quotuplex Excommunicatio jure novo?
VII. Quotuplicis generis sunt Excommunicati?
VIII. Interdictum quid?
IX. Quotuplex est Interdictum?
X. Qui sunt Interdicti effectus?
XI. Poenae in violantes Interdictum?
VII. Quid est Cessatio a divinis?
XIII. Quid Suspensio?
XIV. Suspensio vel est in totum, vel pro parte?
XV. Quae pœna in violatores Suspensionis?

I. Postquam Innocentius III. omnium primus inter Ecclesiasticas censuras Excommunicationem, Suspensionem, et Interdictum adnumeravit; inter censuras, pœnas, et impedimenta discrimen

---

(1) *Conc. Carthag. 11. can. x. a Gratiano relat. can. iv. Caus. 15. Q. vii.; et Cap. 2. de poenis in 6.*
(2) *Sess. xiii. Ref. cap. 4.*

inductum est; ita ut Irregularitas sit impedimentum; Depositio, et Degradatio pœnæ; Excommunicatio vero, Suspensio, et Interdictum Censuræ. Quare definitur Censura: *Poena spiritualis, et medicinalis privans hominem baptizatum, delinquentem, et contumacem usu quorundam Spiritualium bonorum, ita ab Ecclesia inflicta, ut per eandem possit absolvi.*

Dicitur 1.° *Poena*; quia supponit culpam, ob quam quis spiritualibus bonis spoliatur.

2.° *Spiritualis*; ob bona spiritualia, quibus homo Christianus per censuram privatur.

3.° *Et medicinalis*; quia Censura non ad vindictam, sed ad salutem infligitur.

4.° *Privans hominem baptizatum*: hæc verba innuant Christianos, viatores, rationisque compotes dumtaxat posse Censuris affici; quibus adcensentur Hæretici, Schismatici, Apostatæ; minime vero Judæi, Ethnici, imo et Cathecumeni, qui per baptismum in Ecclesiam nondum ingressi sunt: neque mortui, nisi indirecte, dum e. g. Ecclesia mortuis interdicit Ecclesiastica Sepultura, precibus, suffragiis, Sacrificiis.

5.° *Delinquentem*, et *contumacem*. Censuræ enim in contumaces, et delinquentes ut resipiscant, feruntur.

6.° *Usu quorundam bonorum spiritualium*: non quidem eorum, quæ interna, ut fides, spes, charitas; sed eorum, quæ externa, et publica sunt, ut est spiritualis jurisdictio, Beneficia, Sacramenta, Suffragia.

7.° *Ita ab Ecclesia inflicta*. Infligendarum enim Censurarum a clavium potestate, quæ Ecclesiæ datæ sunt, dependet. Verum in hoc non requiritur potestas remittendi, vel retinendi peccata, uti in Tribunali Pœnitentiæ; sed satis est pote-

stas jurisdictionis ab ordinis potestate sejuncta. Quare Censuras ferre possunt quisque Clericus, modo prima Tonsura saltem initiatus sit.

8.° *Ut per eandem possit absolvi*: hine discrimen oritur inter Censuram, et pœnam Canonicam. Pœna enim Canonica perpetua est, atque ad vindictam infligitur: at Censura veluti medicina ad salutem adhibetur, ut delinquens satis pro delicto faciens ab ea absolvatur.

II. Porro Censura alia est a jure; alia est ab homine. Prior a lege contra delinquentes subditos lata est; quæ generalis est, et durat usque dum lex abrogatur. Posterior est ab homine; quæque per modum præcepti a judice Ecclesiastico infligitur. Hæc autem si non sit contracta, judice mortuo, vel jurisdictione privato, corruit. Rursus hæc vel *particularis* est, si factum aliquod, vel aliquas personas impetit; vel *generalis*, si nulla facti, aut personæ determinatione feratur. Denique Censura alia dicitur *latae sententiae*, quæ ipso facto ante judicis sententiam incurritur. Alia vero *ferendae sententiae*, qua ut quis afficiatur, requiritur judicis sententia.

III. Et sane Censura per absolutionem a judice jurisdictionem habente aufertur. Quemadmodum Censura et pure, et sub conditione infligitur; ita absolutio non solum pure, sed etiam sub conditione impendi potest. Est et alia absolutionis species, quam vocant ad *cautelam*; quae passim a Confessariis Sacramentali absolutioni praemitti solet. De hac re fusius Theologi.

IV. Omnis Censura utpote pœna gravissima non est infligenda, nisi ob gravem culpam, externam, completam, et contra Ecclesiæ præceptum contumaciter admissam.

Hinc 1.° trina monitio, aut una pro tribus praecedat necesse est.

2.° Ut ex scripto recitetur.

3.° Ut causa, ob quam Censura lata est, exponatur.

4.° Ut reo exemplum, seu, uti ajunt, *copiam Scripturae* petenti intra mensem tradatur; alias ipse judex a divinis officiis suspensus est (1).

V. Et sane ut adpareat, quæ fuerit antiquitus Excommunicationis natura, præ oculis habenda est vetus communionis ratio, qua fideles veluti in unum corpus coalescunt. Inter omnes convenit per baptismum cuique fideli jus ad omnia spiritualia bona, quæ Ecclesiæ dispensationi commissa sunt, quæsitum esse. Quot ergo sunt Ecclesiæ bona, tot singulis fidelibus jura quæsita sunt. Hinc jus ad Eucharistiam, jus ad preces, jus ad convivium, jus ad divinum verbum audiendum, jus ad osculum, jus ad colloquium. Hinc Ecclesia iisdem bonis degeneres Christianos vel in totum, vel in parte plectebat. Quare alios ab Eucharistia, alios ab oblatione panis, et vini ad Sacrificium, aliosque ab aliis bonis spiritualibus arcebat, seu excommunicabat (2). Quo apud veteres orta est distinctio illa inter Excommunicationem mortalem, et medicinalem. Illa fideles a Sacramentis, omnique fraternitatis consortio separabantur: hac tanquam medicina a religiosis conventibus movebantur. Dignus est, qui de hac re legatur S. Agustinus (3).

---

(1) *Videsis de hac re Conc. Trid. Sess. XXV. Ref. cap. 3.*

(2) *S. Basil. can. IV. Conc. Carthag. IV. can. XLII. Theodor. Epis. LXXVII.*

(3) *Lib. 1. Homil. homil. ult.*

VI. Itaque ex illa apud veteres inter Excommunicationem mortalem, et medicinalem distinctione emersit in nova disciplina Excommunicatio major, et Excommunicatio minor. Et quidem Excommunicatio minor ex Scholasticis placitis definitur: *Ecclesiastica censura per se solum privans usu passivo, seu susceptione Sacramentorum, quae ab eo contrahitur, qui cum Excommunicato vitando communicat.* In Excommunicatione vero majori tres veluti gradus adgnoscunt Canonistæ, scilicet simplicem excommunicationem, anathema, et anathema maranatha. Prima sine ulla sollemnitate fertur; alteri sollemnitates adduntur, tertia declarat sic excommunicatum solius Dei judicio relinqui usque ad Domini adventum (1). Itaque excommunicatus utpote habendus ethnicus, et publicanus omni jure, quod per baptismum quaesivit, cadit.

VII. Ex antiqua Ecclesiae disciplina omnes Excommunicati erant vitandi; nunc temporis ii tantum vitandi sunt, qui a judice nominatim indicantur. En discrimen inter Excommunicatum vitandum, et tolleratum (2).

VIII. Jam vero Interdictum recte definitur: *Censura Ecclesiastica, qua prohibentur omnia divina Officia, et quorundam Sacramentorum usus, et Ecclesiastica sepultura.* Itaque ergo Interdictum distat ab Excommunicatione, quae Christianos bonis spiritualibus privat, quatenus sunt communicatio cum fidelibus. Differt a Suspensione, quæ fideles privat sacris functionibus, quatenus sunt actus ordinis Clericalis. Ab utraque

---

(1) *Dugancius V. Maranatha.*
(2) *Extr.* Ad evitanda.

diversum est Interdictum, quod quidem fideles privat bonis spiritualibus, sed quatenus sunt bona ipsius Ecclesiae.

IX. Porro Interdictum Decretalium jure in *Personale*, *Locale*, et *Mixtum* dividitur. Personale Interdictum personas afficit, easque quarundem rerum sacrarum usu privans ubique prosequitur. Locale vero locum, in quo res sacrae fieri vetantur, spectat. Mixtum denique utrinque participat. Rursus Interdictum sive personale, sive locale vel generale est, vel particulare. Illud in plures personas civitatem, provinciam, regnum constituentes, in quibus plura loca sacra continentur, ferri solet. Hoc vero unum, pluresve homines, unumve locum sacrum respicit. At quoniam ex Regula juris accessorium sequitur principale, civitate Interdicto affecta, suburbia, aliave ædificia continentia censentur interdicta.

X. At vero Interdicta id efficiunt, ut in Ecclesiis Interdicto affectis omnia divina officia, nuptiarumque Hierologia cessarent, exceptis sacris concionibus, Baptismi, Confirmationis, et Pœnitentiae administratione, atque etiam Eucharistiae, quae infirmis deferri potest. Verum si quis nominatim interdictus est, vel crimini, quod interdicto punitum est, operam, consilium, aut favorem contulit, a Confirmatione etiam, et Poenitentia repellendus est. Lapsu temporis Gregorius IX. et Bonifacius VIII. jusserunt, ut in locis interdicto subjectis quotidie possit sacris operari, et divina Officia celebrari; modo portae essent clausae, et sileret aes campanum: diebus vero Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, Corporis Christi, Assumtionis B. Virginis divina Officia sollemniter Deo persolvi concesserunt.

XI. Nec levioris momenti censendae sunt poenae,

quibus in violantes interdictum animadvertitur. Etenim si Clericus sciens prudens in loco interdicto celebrat, statim fit alienus a Canone, et jure eligendi spoliatur. Utriusque poenae veniam unus R. Pontifex indulget (1). Item qui in loco interdicto cadaver sepelit, Excommunicatione Episcopo reservata afficitur (2). Item Regulares etiam exemti, qui interdictum generale locale a R. Pontifice, vel ab Episcopo latum negligunt, Excommunicatione plectuntur (3).

XII. Ab Interdicto differt *Cessatio a divinis*, quae est Ecclesiastica sanctio, qua Clerici vetantur sacra peragere in Ecclesia, ubi grave crimen admissum est. Attamen non est Censura, cum non sit poena medicinalis, sed potius est dolor, et simul horror ab Ecclesia ob patratum crimen conceptus. Quare violatio cessationis a divinis gravis quidem culpa est, sed non facit a Canone alienos (4). Verum Regulares, qui in Ecclesia, in qua a divinis cessatum est, celebraverint, anathemate plectuntur (5).

XIII. Tertia Censurae species, quae latine Absentia, et in Aurilianensi Concilio Suspensio primum appellatur, definiri potest: *Censura Ecclesiastica, qua Clericus in emendationem exercitio potestatis Ecclesiasticae, quam vel ratione officii, vel beneficii habet, salva dignitate, abstinetur.*

---

(1) *Cap. XVIII. de Sent. Excom. in 6.*
(2) *Clement. 1. de Sepult.*
(3) *Clement. 1. de Sent. Excom.*
(4) *Cap. ult. ext. de Consecr. Eccles.*
(5) *Clement. 1. de Sent. Excom.*

Dicitur 1.° *Censura* : ut distinguatur Suspensio tum ab ea prohibitione, qua Confessarius Sacerdoti aliquando praecipit, ut a sacris operando abstineat se ; tum a cujusvis officii, vel dignitatis privatione : quo casu Abbatissae, et Priorissae ab officio suspendi dicuntur ; vel ipsae ubi jurisdictione augentur, Clericos suspendunt.

2.° *Quo Clericus* : en inter alias Censuras, et Suspensionem differentia. Illae enim fideles omnes; hae vero unos Clericos afficit.

3.° *In emendationem*. Et sane Suspensio in emendationem, non in criminis poenam irrogatur.

4.° *Exercitio dignitatis Ecclesiasticae* : ut significetur Clericos sacris officiis, vel Ecclesiasticis stipendiis abstentos dignitatem, seu beneficium non amittere, sed tantum suae dignitatis, seu ordinis functionibus, aut fructuum beneficii perceptione, atque aliis inde pendentibus abstineri.

5.° Reliqua definitionis verba tres Suspensionis species distinguunt ; unam scilicet ab Officio ; alteram a Beneficio ; tertiam ab utroque : quare suspensio ab officio Clericum ab omnibus Ecclesiasticis officiis, quae vel ab ordine, vel a jurisdictione pendent, abstinere facit. Quae enim Clericis aeque, ac laicis communia sunt ; veluti e. g. Sacramentorum susceptio, ingressus in Ecclesiam aliaque, ab officio suspensis non interdicuntur. Suspensio vero a Beneficio Clericos a fructuum Beneficii susceptione, aliisque inde pendentibus ; non item ab officio excludit. Suspensio demum ab utroque tum a sacris officiis, tum a fructuum beneficii perceptione removet Clericos. Porro hac Suspensionis specie plecti etiam intelliguntur, qui generatim, nulla addita Suspensionis specie, abstinentur. Utrum vero ab officio suspensi etiam a

beneficio, quod propter officium datur, intelliguntur abstenti, disputatur (1). Hinc ut judices hac in re recte procedant, ubi Clericos ab utroque abstentos velint verba ab *Officio*, et *Beneficio*, data opera, inserant sententiae necesse est.

XIV. Praeterea quævis Suspensionis species vel irrogatur in totum, vel pro parte, vel in perpetuum, vel ad tempus; quin etiam ad certum locum potest limitari pro culpae admissae ratione. Hinc orta est in jure Suspensionis alia species, partialis scilicet, seu partiaria. Verum qui ab ordine superiore suspenditur, exercere ordinem inferiorem potest: quamvis qui ab ordine inferiori abstentus est, etiam ordinis superioris exercitium amittat. Ceterum de hac re verba, quibus Suspensio profertur, diligenter pensanda sunt.

XV. Quamvis Clerici ab ordine, aut beneficio suspensi, ordine, et beneficio non priventur; tamen si in Suspensione functiones ordinis, aut beneficii, unde suspensi sunt, exerceant, a Canone fiunt alieni (2), seu in irregularitatem incidunt.

---

(1) *Suaresius de Censur disput. XXVI. sect. 3.*
(2) *Cap. 1. de Sent., et re judic. 6.*

TITULUS XV.

De Impedimentis Ecclesiasticis, seu Irregularitatibus.

I. Quem Irregularem R. Pontificum Decretales vocitant, antiquitus alienus a Canone, seu Graece *αλλοτριος τȣ κανονος* audivit; et quem in veteri disciplina afflatum gravi crimine, licet postea expiato, Ecclesia a Canone alienum jubebat; posteriori aevo eadem voluit, ut Irregularitas non solum ex crimine, sed etiam ex defectu sive animae, sive corporis oriretur. Qua de re ex novae disciplinae placitis Irregularitas recte definitur. *Impedimentum Canonicum, quo quis vetatur vel ordinari, vel in susceptis Ordinibus ministrare a solo jure proveniens.*

Dicitur 1.° *Impedimentum*: quo quis scilicet inahabilis redditur, licet id non semper ex culpa oriatur.

2.° *Canonicum*; hoc est ab Ecclesiae Canonibus Irregularitas statuta est. Hinc nulla Irregularitas sumta est a divino, vel naturali jure.

3.° *Quo quis vetatur vel ordinari*: sed si quis ordinibus initietur, Ordinatio irrita non est. Hoc

loco ordinum nomine venit quoque Clericalis Tonsura.

4.° *Vel in susceptis Ordinibus ministrare.* Qui enim prohibitus est ordines suscipere, vulgo prohibetur etiam in ordinibus jam susceptis ministrare. Dixi *vulgo* : etenim Irregularitas partiaria impedit quidem, quominus aliquis ordo suscipiatur ; at illius ordinis exercitium, qui jam susceptus est, minime prohibet.

5.° *A solo jure proveniens.* Etenim nulla Irregularitas est ab *homine*, uti dicunt, sed omnis Irregularitas ab uno jure communi provenire fertur; et in casibus in jure expressis. Hinc Episcopi Irregularitates jubere non possunt.

II. Sane jure Decretalium duplex distinguitur Irregularitatum genus, quorum alterum ex defectu ; alterum vero ex crimine exurgit : et utrumque varias sub se species comprehendit. Nos pro nostri instituti ratione praecipuas Irregularitates ex utroque genere exurgentes paucis percensebimus. Atque omnium primum de Irregularitatibus ex defectu ; mox vero de illis, quae ex delicto oriuntur.

III. Et quod spectat ad Irregularitates ex defectu animae, Irregulares audiunt furiosi; quo nomine veniunt etiam amentes, Epileptici, Energumeni, Illitterati (1).

IV. Vitia quoque corporis a Canone excludunt. Hinc Surdus, non vero Surdaster, caeci, hermaphroditi, et qui sacro ministerio obeundo impares sunt; aut alias horrori sunt ad spicientibus, a Canone alieni censentur (2).

---

(1) *Conc. Tolet. VI. can. 19.*

(2) *Cap. 1. et ult. ex de corpore vitiatis, et Cap. 11. ex. de Clerico aegrotante.*

V. Olim filios illegitimos, modi digni essent, a Clericatu Ecclesia non rejecit. At lapsu temporis omnes illegitimi a Canone facti sunt alieni; nisi in Coenobiis sollemnia vota nuncupassent. Attamen Regulares pro Praelaturis Pontificiae veniae indigent (1).

VI. Cum jure civili a jure Canonico non rejecto Servi in rerum numero esse censerentur, sine Domini consensu ad Ordines promoveri nequibant. Item milites (2): et generatim omnes, qui officia publica rationibus obnoxia exercent, quales sunt tutores, curatores, aliique, quos ante redditas rationes ordinari Canones vetant, ne Ecclesia infametur (3). Item conjuges, nisi uxores consentiant, quae jure novo etiam castitatem vovere debent.

VII. Mitissima Ecclesiae disciplina non patitur, ut Sacerdotio fungantur, qui vel juste humanum sanguinem effuderint, vel alias in judicibus criminalibus ad illius effusionem causam aliquam praebuerint. Hinc factum est, ut milites, judices criminales, accusatores, testes, et scribae in causa sanguinis, et quotquot in cruentas exsecutiones concurrunt, a Canone censeantur alieni. Excipiuntur Clerici, qui jurisdictionem temporalem obtinentes jubent, ut de homicidio, alio-ve maleficio magistratus inquirant, et justitiae debitum exsequantur.

VIII. A Canone alieni sunt Digami, idest plurium uxorum mariti; idque ex Apostoli doctri-

---

(1) *Cap. 1. ex. de filiis Presbyter.*
(2) *Innoc. 1. Epist. XXIII. cap. 6.*
(3) *Conc. Carthag. 1. can. 8. et Cap. 1. ex. de obligatis ad ratiocinia.*

na (1). Immo si quis duas uxores, alteram ante Baptismum, alteram vero post Baptismum duxisset, Graeci conjugii ante Baptismum initi nullam rationem habent (2). Latini vero eos a Canone alienos pronunciant, quia hujusmodi Digami Sacramentum conjunctionis inter Christum, et Ecclesiam non exprimunt (3). Atque hanc Irregularitatem *ex defectu Sacramenti* vocant. Verum ubi vera Digamia non deprehenditur, eam vel interpretati sunt, vel per similitudinem excogitarunt rei Canonicae tractatores. Digami per interpretationem sunt Clerici sacris ordinibus initiati, qui secundas nuptias, aut cum vidua attentant. Item qui cum muliere ab alio corrupta nuptias contrahit. Digami per similitudinem dicuntur, qui in sacris ordinibus constituti, aut sollemni castitatis voto obstricti virgines sibi uxores copulare audent, itemque qui cum virginibus Deo dicatis nuptias inire tentant, ducta nempe a carnale ad spirituale matrimonium similitudine.

IX. A primis Ecclesiae orsis omnia crimina sive manifesta, sive occulta, quae per canonicam, vel per publicam poenitentiam expiabantur, a Clero arcebant. Haec sanctissima disciplina usque ad saeculum IX. incolumis stetit, quo jure Decretalium invecto inter publica, et occulta crimina discrimine, factum est, ut ea tantum crimina alienos a Canone faceret, quae vel in jure expressa reperiuntur, vel afferunt infamiam. Hinc alieni a canone censentur adulteri, raptores, incestuosi,

---

(1) *I. ad Timoth. III. v. 2. et 12.*
(2) *Can. Apost. XVI.*
(3) *S. Augustin. de bono conjug. cap. VIII.*

perjuri publico judicio. His adde Comoedos, Foeneratores, Seditiosos, Haereticos, eorumque filios: Schismaticos: violatoresque Censurae. Pone hos veniunt Laicus, aut Clericus, qui sollemniter baptizarit, et qui sciens prudens rebaptizat, aut exhibet ministerium. Item qui in ordine non suscepto sollemniter ministrat: Clerici per saltum promoti: et qui furtim, hoc est sine *litteris Dimissorialibus* ordinibus initiantur. Item qui majore Excommunicatione, vel alia Censura irretiti Ordines suscipiant, aut Ordinum jam susceptorum officia exercent. Antedictis etiam accensentur Simoniaci, homicidae, et qui membra humana mutilarint: idque sive publice, sive occulte admiserint. Sunt porro a Canone alieni non modo homicidae voluntarii; sed etiam qui non ex voluntate occidunt, modo rei vetitae, aut illicitae operam dederint, veluti si Clericus Chirurgiam exerceat, et inde homo periisse dicatur. Quod si alia crimina aequalis, aut majoris gravitatis admissa dicantur, ea tum Irregularitatem inducunt, si in jure inveniantur expressa. Etenim non valet ab una specie expressa ad aliam non expressam argumentatio (1).

X. Quocumque tandem modo Irregularitates nascantur, fere tolli possunt vel ipso jure, vel superioris indulgentia. Quae ex temporario, et extrinseco vitio sunt, quales ex defectu aetatis, scientiae, libertatis, illo sublato tolluntur. Quae vero ex perpetuo vitio oriuntur, indigent indulgentia. Auctoritas Irregularitates relexandi jure novo in Pontifices Romanos translata est; tantumque in casibus jure expressis Episcopi rela-

(1) *Cap. XVIII. de Sent. Excom. in 6.*

xant Irregularitates. Ita Episcopi veniam dare possunt in omnibus Irregularitatibus ex delicto occulto, ea excepta, quae ex homicidio voluntario, exceptisque aliis apud Judicem deductis (1). Hic animadvertas velim in casibus, ubi licita est indulgentia, justam causam requiri.

FINIS LIBRI III.

---

(1) *Trid. Conc. Sess. XXIV. Ref. cap. 6.*

CONCLUSIONES

JURIS CANONICI

CONCLUSIONES

JURIS CANONICI.

CONCLUSIO I.ª

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

Adver. I. De multiplici acceptione vocis *Patriarcha* apud veteres nihil solliciti sumus, sed quo sensu ea vox apud rei Canonicae peritos veniat, hoc loco potissimum attendemus. Sane antiquitus Archiepiscopus, Exarchus Dioecesεως, et Patriarcha unum, idemque sonabant. Iis nimirum vocibus ille innuebatur, qui integrae alicui Dioecesi, hoc est pluribus invicem conjunctis praeerat provinciis: qui quidem si civili imperio praeerat, Exarchus; si vero Ecclesiastico, Patriarcha audivit. Profecto Constantinus M. universum Romanum orbem in quatuor Praefecturas, seu partes divisit, easque quatuor Praefectis Praetorio commisit. Duae porro erant in Oriente, Oriens, et Illiricus; duae vero in Oc-

cidente, Italia nempe, et Gallia. Unaquaeque Praefectura in plures Dioeceses dividebatur. Ita Orientis Dioeceses erant quinque: scilicet Oriens stricte sumtus, Ægyptus, Asiana, Pontica, Thracica: Illirici Diaeceses erant duae; Macedonica, et Dacica. Italiae tres; scilicet Italia, Illiricum Occidentale, et Africa. Galliarum denique tres; nempe Gallia, Hispania, et Britannia. Singulae vero Dioeceses singulas habebant Metropoles. Patriarchae igitur nomine is venit, qui in Civitate, Dioeceseœs metropoli constitutus plures provincias una Dioecesi comprehensas gubernat.

II. Etsi ante Synodum Chalcedonensem nomen Patriarchae ab Ecclesia non sit adhibitum, tamen sex fuisse videntur in universo Christiano orbe Patriachae: Romanus scilicet, Alexandrinus, Antiochenus, Ephesinus in Dioecesi Asiana, Caesareensis in Pontica, et in Thracica Heracleensis. Verum hi tres postremi Exarchi apud veteres audierunt, et Exarchi Patriarchis aliquantulum inferiores habiti sunt. At lapsu temporis ex hisce tribus Exarchatibus unus postea exortus est Constantinopolitanae Ecclesiae Patriarchatus. Profecto Episcopo Byzantino Canone III. Concilii Constantinopolitani I. dumtaxat praerogativa honoris post R. Pontificem concessa est; sed paulatim Imperatoribus faventibus, potestatem quandam in tres illas Dioeceses exercere cœpit, donec Canone XXVIII. Synodi Chalcedonensis clanculum cuso in Asianam, Ponticam, Thracicam Dioeceses Episcopo Constantinopolitano jus Patriarchicum tributum est. Huic inauditae novitati, regiaeque urbis Episcopi ambitioni forti animo intercesserunt Summi Pontifices ad Concilium IV. Lateranense usque, in quo Canone V. Constantinopolitanus Patriarchatus pro-

batus est. Quemadmodum Ecclesia Constantinopolitana ob Imperialem splendorem, ita ob urbis sanctitatem Hierosolymitana obtinuit jura, et privilegia Patriarchatus. Canone enim VII. Synodi Nicaenae Episcopo Hierosolymitano nonnisi honoris praerogativa tributa est post Caesareensem Metropolitam, cui antea Hierosolymitanus, tanquam suffraganeus suberat. Verum post Synodum Hierosolymitani Episcopi ambitionem intra modum minime coercentes, primum sui Metropolitani jura; dein Palaestinae subjectionem sibi immerito vindicarunt. Cui incommodo Concilium Chalcedonense actione VII. obviam ire sibi visum est, et Maximi Antiocheni, et Juvenalis Hierosolymitani Episcopi consensione sancivit, ut Antiochenus Episcopus duas Phaenicias, et Arabiam; Hierosolymitanus vero tres Palaestinas quisque sub propria haberent potestate. En quinque in universa Ecclesia Patriarchae, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus.

III. Ut recte Patriarcharum originem adsequamur, distinguendum est in dignitatem Patriarchicam, et potestatem. Et sane Ecclesiarum, Romanae scilicet, Alexandrinae, et Antiochenæ dignitas ex eo orta videtur, quod a D. Petro, Apostolorum Principe fundatae fuerint, uti veterum Patrum testimonia ostendunt apud Thomassinum. Itaque ex Sedium dignitate potestas quoque effluxit. Etenim cum ex Roma, Alexandria, et Antiochia in vicinas, et circumjacentes regiones Evangelica lux fuerit invecta, facile factum est, ut illae veluti parentes, ac magistrae et haberentur, et dicerentur. Hinc ubi in illarum regionum civitatibus constituendi forent Pastores, hoc jus ad Ecclesiæ matris Episcopum, a qua

ipsa fides profecta est, spectare visum est. Praeterea cum identidem haereses, atque errores erumperent, ad fidem tuendam nihil conducibilius fieri potuit, quam ad Ecclesiae matris Antistitem confugere, eumque uti parentem in tanti momenti rebus consulere. Itaque ergo a Conditoris gloria, et a Paternitatis jure Sedium Patriarchalium dignitas primo, dein auctoritas, ac potestas in filias Ecclesias derivavit.

IV. At nec tibi Ecclesiasticae Hierarchiae cum civili regimine conformitas negotium facessat? Apostoli enim, qui universum orbem sortiti erant, nihil facilius, feliciusque nihil ad Evangelium disseminandum esse duxerunt, quam in Civitate principe fidei semina jacere, ex qua vicina oppida, finitimaeque gentes ejusdem fidei lumen exciperent. Idque ex eo magis liquet, quod Antiochia, licet a D. Petro fundata est, tamen ordine erat tertia Sedes; et Alexandria secunda, quia Alexandria in civili regimine ordine Antiochiae praestabat. Ergo a civili regimine at remotius; a D. Petri dignitate proximius; ab Ecclesiasticis Sanctionibus distinctius Ecclesiarum Patriarchalium dignitas, potestas, et jurisdictio exorta est.

V. Canone sexto Nicaeno de Patriarchis, Romano scilicet, et Alexandrino sic cautum est: τα αρχαια ηθη κρατειτω, τα εν Αιγυπτω, και Λιβυη, και Πενταπολει, ωστε τον Αλεξανδρειας επισκοπον παντων τουτον εχειν την εξουσιαν: επειδη και τω εν τη Ρωμη επισκοπω τουτο συνηθες εστι: hoc est: *antiquos mores servato in Ægypto, et Lybia, et Pentapoli, ita ut Alexandriae Episcopus omnium horum habeat potestatem: quandoquidem Episcopo in Urbe Roma idem mos est.* Quemadmodum hoc Canone de Episcopi Alexandrini

potestate clare constat; ita de Romani Patriarchatus confiniis adhuc sub judice lis est.

VI. Age vero sententiam Canonis sexti Concilii Nicaeni inquiramus. Sane hoc Canone fines Alexandrini Patriarchatus, non autem Romani innotescunt. Rufinus primus omnium ita illum a Graeco vertens exposuit: *et ut apud Alexandriam, et in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Quaenam vero fuerint Suburbicariae Ecclesiae, intra quas Romanus Patriarchatus coercetur, gravis inde excita est controversia.

1.° Intra centesimum ab Urbe lapidem concluserunt Jacobus Gothofredus, et Salmasius, occasionem nacti Pontificiam dignitatem impugnandi. Horum sententia risu potius, ac sibilis, quam refutatione excipienda est. Egregie vero eam refutavit Jacobus Sirmondus, in cujus sententiam iverunt Dupinus, et ex ipsis Protestantibus Christianus Chortholtus. Hi enim Romanum Patriarchatum ad decem provincias Praefecturae Romanae subjectas contrahunt: nimirum Picenum, Campaniam, Tusciam, et Umbriam, Apuliam, et Calabriam, Brutios, et Lucaniam, Samnium, Valeriam, Sardiniam, Siciliam, et Corsicam.

2.° Oppositam viam inierunt Morinus, De Marca, Natalis Alexander, Pagius, Schelestrate, aliique non pauci, et Romanum Patriarchatum ad totum Occidentem extendunt. His posis sit.

PROPOSITIO.

Jure antiquo Canone VI. Concilii Nicaeni I. Romanus Patriarchatus coercetur intra decem provincias Urbis Vicario subjectas.

Prob. I. Potiora Patriarcharum jura fuerunt omnes Episcopos, vel si qui erant, Metropolitas ordinare: Appellationes a Synodis provinciæ recipere: Synodum Dioecesanam indicere, eique praesidere: in Metropolitas, iisque negligentibus in eorundem suffraganeos delinquentes animadvertere: leges Imperiales, si publicandae erant, ad Metropolitas mittere. Cum igitur ex antiquioribus Ecclesiae monumentis constet Romanos Patriarchas hisce juribus per decem illas supra dictas provincias usos; neutiquam ambigendum est, Romanum Patriarchatum strictius sumtum decem provinciis Urbis Vicario subjectis coercitum fuisse. Et sane Episcopi et praesertim Metropolitae per Gallias, Hispanias, Africam, aliasque Occidentis Dioeceses constituti neque a Romano Patriarcha, neque ejus jussu ab alio, sed in Synodis Provinciae fuerunt ordinati. Quinimmo in ipsa Dioecesi, quae ut a Romana distingueretur, Italica nuncupata est, Episcopi non Romano Pontifice, sed ab Episcopo Mediolanensi, qui Italiae sic proprie dictae veluti Primas erat, ordinabantur. Hujus rei locupletissimi testes sunt tum Ambrosius in suis epistolis, et praesertim epistola XXIV.; tum Theodoretus libro IV. capite 7.

Prob. II. Quemadmodum Romana Ecclesia suas habebat Dioecesanas Synodos, *Romanas* dictas; ita Gallia, Hispania, Africa, aliaeque Occidentis Dioeceses suas Synodos cogebant. De quibus

Patres illi in causis quidem communibus, et ad Ecclesiae unitatem pertinentibus ad Romanum Pontificem referebant: ast ubi peculiares Provinciarum, et Dioeceseωn res tractandae essent, etiam inconsulto Romano Pontifice cognoscebant, et judicabant. Id de Synodis Italicis ex binis S. Ambrosii ad Syagrium Episcopum Veronensem Epistolis colligitur.

Prob. III. Dioeceseωs Italiae peculiarem quandam curam gerebat Episcopus Mediolanensis. Hinc Ambrosius Epistola XXV. Clerum Vercellensem sic alloquitur: *Conficior dolore, quia Ecclesia Domini, quae est in vobis, Sacerdotem adhuc non habet, et mihi adscribitur vestra intentio, quae affert impedimentum.* Tum idem Ambrosius Vigilium, quem Episcopum Tridenti ordinaverat Ecclesiae Forocorneliensis *Interventorem* Episcopum constituit. Ex his huc usque prolatis monumentis manifesto liquet Italiae Ecclesias ad Episcopum Mediolanensem, non vero ad Romanum Pontificem jure Patriarchico stricte sumto pertinuisse. Id quod potiori jure de Africa, Hispania, Gallia, aliisque Occidentis Dioecesibus dicendum est.

Prob. IV. Post receptos Canones Sardicenses raro, et difficulter in causis ordinariis, et minoribus ex solido Occidente ad Romanum Pontificem, uti Patriarcham appellatum est. Patres enim Sardicenses Episcopo Romano, non uti Patriarchae, sed uti totius Ecclesiae Primati tribuerunt, ut in provinciis etiam longinquioribus ab urbe, qui se gravatos existimarent, ad Romanam Sedem confugerent. Etenim Athanasii intuitu, qui ad Julium I. confugerat, ille Canon conditus est. Nihil ergo ad Romanum Patriarchatum pertinet tertius Canon Concilii Sardicensis. Ergo.

CONCLUSIO II.[a]

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

ADVER.' 1.° Episcopi apud Athenienses erant Magistratus, qui per urbes ad jus dicendum mittebantur; hinc Plutarchus in *Pericle*: παντον επισκοπος φιδιας, *omnia curabat Phidias*: item *Inspectores*, *Speculatores*: hinc idem Plutarchus: Θεοι χρηστων επισκοποι, και πονηρων εργων, *Dii bonorum inspectores, iniquorumque operum.* Itaque recte apud Christianos sacri gregis pastores, primique custodes dicti sunt Episcopi. Ad rem Augustinus lib. XIX. de *Civitate Dei* cap. 19. *Episcopatus nomen est operis, non honoris. Graecum est enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille, qui praeficitur, eis quibus praeficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens.* Praeterea Episcopi nomen etsi Presbyteris essent antiquitus commune, tamen ut a Presbyteris, a quibus jure divino distinguuntur, distinguerentur, aliis, iisque honorificis titulis decorati sunt. Quamobrem *Ecclesiarum Principes*, *Summi Sacerdotes*, *Antistites*, *Patres*, *Angeli Dei*, *Christique Vicarii* audierunt.

II. Porro externum Ecclesiae regimen est ipse Ecclesiarum status, et dispositio, qua illae certis finibus includuntur, et Episcopatus Ecclesiis Metropolitanis, Metropolitanae Patriarchalibus, et omnes Summo Romano Pontifici subsunt. Sumsit enim Ecclesia in hoc suo ordinando regimine exemplum a Republica. Hinc si quae Civitates crescebant in Imperio, etiam crescebant Ecclesiastici honores, et Ecclesiae majoribus donabantur praerogativis. Hinc Synodus Chalcedonensis canone XVII. aperte statuit, *ut si qua Civitas ab Imperatoria auctoritate innovata est, vel deinceps innovata fuerit, civiles, et publicas formas Ecclesiasticarum quoque Paraeciarum ordo consequatur.*

III. Hoc Ecclesiasticum regimen ad civilis regiminis imitationem factum induxit regulam juris Canonici, qua vetatur in parvis oppidis, et villis Episcopatus constitui, *ne*, ut inquit Synodus Sardicensis canone VII., *Episcopi nomen*, *et auctoritas vilipendatur.* Sed non semper haec regula obtinuit. Ne ante, et post Synodum Sardicensem non desunt exempla Episcopatuum etiam in parvis oppidulis constitutorum. *Nanzianzus* e. g., *Gerus* prope Pelusium, *Cucusus*, aliaque parva oppida suos habuerunt Episcopos: idem dicendum de provinciis Africanis, et Romanis urbico Praefecto subjectis, uti patet ex Conciliorum subscriptionibus. Verumenimvero Episcopi sive in magnis, sive in parvis urbibus constituti omnes eandem a Christo αμεσως habent Sacerdotii plenitudinem. Etenim Christus summus, aeternusque Sacerdos est, atque omni Sacerdotii plenitudine auctus. Ipse autem suos quos Apostolos elegit, eadem potestate, qua a Patre in mundum missus est, in universum orbem misit. Apostoli dein in Apostolatus

ministerium alios assumserunt, sibique constituerunt successores: qui quidem non *Apostoli*, sed *Episcopi* modesto nomine dici voluerunt. Quamvis enim nomen *Apostoli* natura sua modestum sit (est enim missus) tamen Apostolorum miraculis, et sanctitate augustius evasit. Spectavit vero successio ista dumtaxat regimen Ecclesiasticum, non ea, quae Apostolorum propria fuere. Quamobrem S. Ignatius, antiquus scriptor, epistola ad Trallianos Episcopis Apostolorum successoribus Christi personam adpingit: *Revereamur omnes Episcopum, ut Jesum Christum existentem filium Patris.*

IV. Jam vero Episcopis competit potestas, qua pro jure suo omnia sacra obeunt munia, et gladium exercent spiritualem. Episcopatus enim est Sacerdotii plenitudo a Christo ἀμέσως profecta, qua universa spiritualis potestas continetur. At vero quoniam a primis Ecclesiae temporibus Episcopus statim atque electus erat, confirmabatur simul, et consecrabatur. Hinc nulla in Episcopali potestate distinctio apparuit. Saeculo dein circiter XI. Episcopi confirmatione ab ejusdem consecratione sejuncta paulatim receptum est, solam electionis confirmationem Ecclesiae pastorem constituere. Atque hinc etiam recepta est doctrina, quae in Episcopali potestate ea, quae sunt Ordinis, ab illis, quae a jurisdictione pendent, dispescit. Spectat autem ordinis potestas ea, quae characterem Episcopalem requirunt: Jurisdictionis vero exteriorem Ecclsiae administrationem, quam per solam confirmationem Episcopi adquirunt. Hinc Praelati inferiores, qui Ordinis Episcopalis expertes sunt, sola jurisdictione augentur. Praeterea res in hac causa ulterius processit, atque alia rursus inter legem Dioecesanam, et legem jurisdictionis distinctio in-

vecta est. Lex quidem jurisdictionis utramque Episcopi potestatem modo a nobis explicatam, ordinis scilicet, et jurisdictionis comprehendit: lex vero Dioecesana Episcopi potestatem in res Ecclesiasticas, et jura Episcopo debita designat: qualia sunt jus Cathedraticum, Synodaticum, aliaque similia, quae capite XVI. de Officio Ordinarii numerantur. Quamobrem Regulares a lege Dioecesana, minime vero a lege jurisdictionis immunes habentur: nisi hujusmodi immunitatem speciali privilegio obtinuerint. His itaque breviter praejactis sit.

PROPOSITIO.

Episcopalis potestas primaeva sui origine nullis aut personarum, aut locorum finibus divinitus circumscripta est.

Prob. I. Ex Scripturis 1°. Christus Dominus apud Marcum cap. XVI. v. 15. postquam a mortuis revixit, suos Apostolos alloquens inquit: *Ite in mundum universum, et praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Itaque ergo cum Episcopi Apostolis succedant, dicendum est Episcopalem potestatem ab initio nullis aut locorum, aut personarum finibus circumscriptam, aut inclusam fuisse. Hoc adeo verum est, ut reapse Apostoli indivulsa caritate, et consensione Ecclesiam administraverint.

2° Act. XX. Paulus Apostolus, ut Episcoporum studium excitaret, probat eos a Spiritu Sancto ad Ecclesiam regendam positos esse: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos posuit* (Graece εθετο, hoc est designavit, constituit.) *Spiritus Sanctus Episcopos regere Eccle-*

siam Dei; non vero hanc, vel illam particularem Ecclesiam,

3°. Ex Evangelii parabola a Christo exposita, qua in eandem vineam multi, qui laborarent, missi sunt Matth. cap. XX.

4°. Ipsi Apostoli discipulos a se rite institutos aliquando ad amplas Dioeceses, quo ipsi pertingere non poterant, ablegare consueverunt, et quidem cum potestate alios constituendi, et ordinandi. Hujus rei exemplum in Divo Paulo habemus, qui Titum a se jam sacris initiatum Cretae insula reliquit, ut ea quae deessent, corrigeret, constitueretque per civitates Presbyteros.

Prob. II. Ex PP. S. Cyprianus epist. LXV. aperte docet Episcopos in ipsis Apostolis tanquam in semine a Christo Domino fuisse institutos. *Apostolos, idest Episcopos, et Praepositos Dominus elegit.* Sed Apostoli ubique praedicaverunt Evangelium; nullisque eorum potestas inclusa fuit terminis montium, fluminumque, aut provinciarum. Ergo neque etiam Episcopalis potestas.

Prob. III. Ex ipsa Episcopatus essentia, qui natura sua unus est multorum Episcoporum concordi universitate diffusus: non secus ac ipsa Christi Ecclesia, cujus praecipuus character unitas est, licet per varias, diversasque orbis regiones diffundatur. Ad rem Cyprianus libro de unitate Ecclesiae. *Episcopatus unus est, cujus a singulis pars in solidum tenetur.* Ergo Episcopatus divina institutione ita a Christo Domino constitutus est, ut et potestas esset amplissima, et nullis terrarum terminis esset circumscripta, et inculsa. Atque hinc est etiam, quod post institutam Paraeciarum singularum, et Dioeceseœn partitionem, non defuerint sanctissimi, sapientissimique Episcopi, qui ubi necessitas, aut salus

populi, deficientibus, corruentibus, abscissis Pastoribus, id postularet, ubique, atque extra statutos limites Episcopalem exercent jurisdictionem. Quare S. Cyprianus teste Gregorio Nanzianzeno Oratione XVIII. non solum Ecclesiae Carthaginiensis, cujus clavum regebat, curam egerit, sed etiam Africae universae, atque aliarum Ecclesiarum per Orientem constitutarum onus ex communi caritate subire non recusavit. Idem quoque ab Athanasio, et Eusebio Samosatensi factitatum est; quorum primus ex Socrate lib. II. cap. 24. ex *exilio redux per Pelusium iter faciens Alexandriam in quibusdam Ecclesiis ordinationes fecit*: alter vero ex Teodoreto libro IV. cap. 12. *Syriam, Phoeniciam, et Palaestinam militari habitu indutus peragrans Presbyteros ordinavit, et Diaconos, aliosque suffecit ordines Ecclesiasticos.* Idem denique adversus gliscentes haereses suarum partium esse duxerunt, qui passim non minus pro sua, quam pro alienis Dioecesibus caput suum ingentibus periculis objectare strenue non dubitarunt. Ergo etc.

Objectiones.

Objic. I. Apostoli, antequam ad Evangelium diseminandum pergerent, orbem universum veluti in quasdam Dioeceses inter sese diviserunt. Ergo.

R. Dist. ant. ut facilius, feliciusque Evangelium disseminarent, conc. secus, nego. Ergo nego consequentiam, et responsio patet ex distinctione.

Objic. II. Si potestas Episcopalis nullis esset divinitus circumscripta limitibus, Christus Ecclesiae suae non bene consuluisset. Atqui falsum consequens. Ergo et ant.

Prob. maj. Potestas plurimis indiscriminatim data dissentiones fovet, et parit schismata. Ergo.

R. Dist. ant. Si Episcopi potestatem exercerent uti homines, et humanis rationibus, ac praejudiciis ducti, et praeoccupati, transeat. uti Ecclesiae pastores, iisque dotibus praediti, quales Episcopos esse oportet, uti fuere Apostoli, nego. Dixi *transeat.* Nam non pauca negotia saecularia, quae in solidum suscipiuntur, aliquando homines recte administrant, et ad finem perducunt; multo magis Episcopi, Ecclesiaeque pastores, quibus semper, et ubique praesto est divinum, ac coeleste auxilium.

Objic. III. Paulus Apostolus adserit sibi a Christo traditum esse Evangelium praeputii, seu gentilium, sicuti Petro circumcisionis. Ait enim Apostolus ad Galatas II. v. 7. *Creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut Petro circumcisionis.*

R. Dist. ant. Speciali quodam modo, conc. quasi Christus potestatem circumscripsisset, nego.

Responsio ex distinctione patet.

CONCLUSIO III.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

Hujus propositionis προλεγόμενα desumi possunt ex antecedenti.

PROPOSITIO.

Episcopalis potestas jure Ecclesiastico, eoque antiquissimo certis inclusa est locorum limitibus.

Prob. I. Exemplo Apostolorum, qui licet a Christo Domino in universum mundum, ut Evangelium disseminarent, propagarentque, missi fuerint, communi tamen, mutuoque inter se inito consilio, quo Evangelii lumen facilius, feliciusque ubique diffunderent, totum orbem in quasdam veluti Dioeceses inter seipsi partiti sunt, quarum singulas erudiendas susceperunt.

Prob. II. Auctoritate PP., et Conciliorum. S. Cyprianus libro de unitate Ecclesiæ ait. *Singulis Pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque, et gubernet.* Hinc Callixtus II. Pontifex Romanus epist. II. ad Episcopos Galliae apud Gratianum Causs. IX Q. 2. *Nullus alterius terminos usurpet, nec alterius parochianum judicare, vel ordinare, aut excommunicare prae*

sumat....... *Unde et Dominus loquitur dicens: ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* Deuter. cap. 19.

Prob. III. Concilium Nicaenum I. canone VI. exemplo Romani Patriarchatus, qui latius sumtus solidi Occidentis, strictius vero decem provinciarum Urbi praefecto subjectarum terminis circumscriptus erat, limites tam Alexandrini, quam Antiocheni Patriarchatus distinctius constituit. *Antiqui mores serventur in Ægypto, Lybia, et Pentapoli, ut Episcopus Alexandrinus horum omnium habeat potestatem; quandoquidem et Episcopo Romano eadem est consuetudo. Similiter autem et apud Antiochiam, ceterasque provincias suis privilegia serventur Ecclesiis.* Item Canone IV. Metropolitanorum potestas asseritur, et definitur.

Nicaena Sanctio antiquis moribus innixa in posterioribus Synodis magis firmatur, et Episcopalis potestatis fines distinctius, exactiusque describuntur, et circumscribuntur. Canone enim II. Concilii Constantinopolitani I. habetur: *Episcopi ultra Dioecesim ad Ecclesias, quae extra fines suos sunt, ne accedant, neque confundant, et permisceant Ecclesias secundum regulas constitutas. Alexandriae quidem Episcopus ea, quae in Ægypto sunt, tantum gubernet. Orientis autem Episcopi solius Orientis curam gerant; servatis honoribus primatus Ecclesiae Antiochenae, qui in regulis Nicaenae Synodi continentur. Sed et Asianae Dioecesis Episcopi, et quae sunt in Asia, et ad Dioecesim tantummodo Asianam pertinent, gubernent. Ponti autem Episcopi Ponticae tantum Dioecesis habeant curam. Thraciae vero ipsius tantummodo Thraciae.* Idem statutum legimus Canone XXXIV. Apostol.

idem Canone XX. Concilii Antiocheni sub Julio I; idem in Synodo Chalcedonensi, aliisque quam plurimis sive in Oriente, sive in Occidente celebratis. Denique Synodus Tridentina Sessione VI. de Reformatione cap. V. sic sancivit: *Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii praetextu Pontificalia in alterius Dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum, si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, et sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi.* Ergo etc.

Prob. III. Ratione. Administratio universae Ecclesiae Episcopis a Christo in solidum concessa confusionem inducebat. Episcopi enim in Ecclesiae regimen, et potestatem, haud vero in virtutes, et caritatem Apostolis successuri erant. Ergo e re Ecclesiastica esse visum est, singulorum Episcoporum potestatem tam ordinis, quam jurisdictionis intra certos fines coercere, et circumscribere, neque in alienis Dioecesibus eos posse suam potestatem explicare, nisi singulorum Episcoporum accedat auctoritas. Qua de re etiam factum est, ut fines, quibus singulorum Episcoporum potestas includitur, Paraeciæ, vel Dioecesis nomine designarentur. Ergo etc.

Objectiones.

Objic. I. Potestas Episcopalis jure divino nullis circumscripta est finibus. Atqui jus divinum est immutabile. Ergo etc.

R. Dist.- min. quoad essentiam, et sententiam, conc. ita ut etiam salva sententia, nullam pati possit additionem, aut detractionem, quae magis explicant, qua ratione in hac, vel illa circumstan-

tia populorum saluti, Ecclesiaeque commodo aptari debeat, nego. Itaque nihil ambigendum est, quin potestas Ordinis, (facta distinctione inter potestatem Ordinis, et jurisdictionis) αμεσως sit a Christo, qui Joannis cap. XX. v. 23. sic Apostolos allocutus est : *accipite Spiritum Sanctum , quorum remiseritis peccata , rimittuntur eis , et quorum retinueritis , retenta sunt.* De potestate vero jurisdictionis, de qua tot controversiae inter Canonum tractatores excitatae sunt, dicimus eam quoad originem, et institutionem esse quoque αμεσως a Christo : quoad limitationem vero, seu exercitium esse ab Ecclesia, vel per Concilia cum subordinatione ad Sedem Apostolicam, vel per ipsum Pontificem. Hinc non potestas locis, aut terminis, sed locus potestati circumscriptus est.

CONCLUSIO IV.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

Adver. I. Quoniam ex veteri Romuli, primi Romanorum Regis lege filiifamilias in Patris dominio Quiritario erant, atque adeo tanquam res nihil sibi, sed omnia Patribus adquirebant, teste Halicarnasseo, consequens erat, filiosfamilias sive mares, sive feminas jure Romano, quidquid adquirebant, Patribus suis sine ulla distinctione adquirere, unique Patri licere de quaesitis per filios pro arbitrio suo disponere. §. *I. Inst. h. t.* Deinceps unius imperio constabilito, patriaeque potestatis juribus sensim deminutis, jus adquirendi per filios decrevit, et res per filios quaesitae in varia peculia distinctae sunt; quorum alia pleno jure filiis, alia pleno jure patribus, alia pro parte Patribus, et pro parte Filiis adquisita sunt.

II. *Peculium est pusilla pecunia, quam Filiusfamilias, vel servus a rationibus paternis, vel dominicis separatam habet.* L. 5. D. *de peculio.* Porro Servorum peculium unius generis est: at peculium filiorumfamilias, patria potestate de-

minuta, vel militare, vel paganum esse coepit, quorum illud in castrense, et quasi castrense, hoc in profectitium, et adventitium tributum est. . .

III. Peculium castrense ea omnia complectitur, quae filiifamilias occasione militiae castrensis adquirunt: *L. 11. D*: *de Castrensi peculio*: eoque pertinent, quod Pater filio in militiam eundi donat: haereditas a commilitone relicta; et quidquid captum ab hostibus, vel ex pecunia castrensi emtum est. Peculium quasi castrense ad castrensis exemplum inventum ea continet, quae filiusfamilias occasione militiae togatae, vel professione artium liberalium adquirit. Peculium profectitium est, quod e re Patris proficiscitur, vel occasione, et contemplatione Patris filio adquiritur. Demum adventitium est, quod ex alia quavis causa, veluti liberalitate Matris, aliorumve, vel proprio labore, vel prospera fortuna filio adquiritur.

IV. Jam vero Peculium castrense, et quasi castrense filiifamilias sibi pleno jure adquirunt, in eoque pro patribusfamilias habentur; atque adeo inter vivos, et mortis causa libere disponunt: immo illud et ad heredes ab intestato transmittunt. Contra peculium profectitium integrum Patris est; tantumque filius liberam habet administrationem. Quod enim ex Patris occasione profectum est, hoc ad eumdem revertendum. Demum in bonis adventitiis proprietas filio adquiritur, administratio vero ad Patrem, quousque vivit, pertinet.

V. Porro non abs re hic erit animadvertere, bona a Clericis in Ecclesiae ministerio sibi comparata, non immerito peculii nomine donari. Quemadmodum enim apud Romanos neque Servus, neque Filiusfamilias dominium, sed usum dumta-

xat, atque administrationem bonorum patris, vel domini habebant, ita Clerici Ecclesiasticorum bonorum nonnisi usum, administrationemque habent. Hinc Clericis mortem occumbentibus, bona Ecclesiae, ad quam pleno jure pertinent, cedunt.

VI. Et sane titulo Decretalium *de peculio Clericorum* cavetur, ut Clericorum bona ex Ecclesiae administratione sibi quaesita ad Ecclesias, ad quas pertinent, cedant necesse sit. Olim Ecclesiae nomine veniebat commune Ecclesiae matris aerarium: at postea Ecclesiasticis bonis in sportulas, seu portiones divisis, Ecclesia intelligitur, in qua fundatum est beneficium.

VII. Duo heic loci haud parvi momenti excutienda esse videntur. Primum est: num Clericis, qui privati patrimonii satis habent, ex Ecclesiasticis reditibus vitam transigere jus, fasque siet. Alterum est: num Clericis de bonis ex Ecclesiae reditibus quaesitis testari liceat. De hac momentosa controversia Canonicae, et Theologicae rei tractatores in diversas abeunt sententias. Casuistae, et qui Casuistis student tot de hac re concinnarunt ambages, et distinctiunculas, ut ex eorum libris nihil certi, nihil sancti colligere queas. Nos vero cum purioris Ecclesiasticae disciplinae studiosissimis, Bellarmino scilicet, Thomassino, Estio, Fagnano, Espenio, aliisque impune adserimus, videlicet:

PROPOSITIO

Clerici patrimonialia bona possidentes ex reditibus Ecclesiasticis, neque vitam transigere, neque morientes de his testamentum condere possunt.

Prob. I. 1.ª pars ex Scriptura 1.º Christus generatim ait: *gratis accepistis, gratis date*; Clerici ergo tum Ecclesiae, tum plebi ministerium gratis exhibere tenentur. In quod praeceptum sicuti non impingunt, qui ex Ecclesiae bonis nonnisi stipendium, quo sustentantur, accipiunt, ita illud violare certo videntur, qui patrimonio privato divites ex Ecclesiae reditibus vivere malunt.

2.º Christi doctrinam luculentius exponens Apostolus probat omnibus fidelibus eam bonorum terrenorum rationem habendam esse, ut victu, vestitu, ceterisque ad vitam honeste agendam necessariis sibi reservatis, reliqua omnia pauperibus distribuant: *quod enim superest, date eleemosynas*: Lucae XI. 41. Idem Apostolus I. ad Timoth. VI. 8. ait. *habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus*: et Hebr. XIII. v. 5. *Sint mores sine avaritia, contenti praesentibus.* Haec quidem verba non consilium, sed praeceptum continere consentiunt sanioris doctrinae Canonistae, et Theologi. Sane Gulielmus Estius in laudata Apostoli verba sic scribit. *Quaeres, utrum consilii sit, an praecepti, quod dicit: his contenti simus: Respondeo praeceptum esse, idemque ad omnes pertinens, atque adeo ex ipsa naturae lege profectum.... Etenim et hoc natura docet, et caritas exigit, ut membrum ab-*

undans re sibi non necessaria transmittat eam ad alia membra, quae indigent. Habetur idem praeceptum ad Hebr. XIII. *Sint mores sine avaritia, contenti praesentibus.* Hactenus Estius. Porro si hoc a classicis auctoribus de quibuscumque bonis judicium fertur, quid dicendum erit de bonis Ecclesiasticis? praesertim cum Clerici non propter operas, laboresque praestitos hujusmodi bona habeant, sed dumtaxat propter indigentiam sportulae eis adsignatae sint. Deinde laici bonorum dominium pleno jure sibi vindicant; at Clerici nonnisi dispensationem, administrationemque sibi vindicare possunt. Ad rem Canon XXV. Antiochenus: *Participet autem et ipse* (Episcopus) *quibus indiget* (*si tamen indiget*), *tam in suis, quam in fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis.*

Prob. II. ex Patribus. Augustinus Epist. L. *Si pauperum compauperes sumus, et nostra sunt, et illorum. Si autem privatim, quae nobis sufficiant, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* Et Bernardus Epist. II. ad Fulconem: *Conceditur ergo tibi, ut si bene deservis, de altario vivas; non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias...... quidquid praeter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.*

Prob. III. Ratione. Ex Juliano Pomerio *de vita Contempl.* lib. II. cap. 9. Bona Ecclesiae nihil aliud sunt, quam *vota Fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum.* Itaque Clerici tum patrimonio illo uti possunt, cum pauperes sunt. Ergo bonis suis privatis abundantes nullum jus

proximum ad bona illa, quae pauperum patrimonia sunt, habent; alias intempestive, et contra omne jus, et fas in bona illa irrumperent.

Prob. I. 2. pars, quae est veluti primae partis consequentia. In Concilio Carthaginiensi III. can. XLIX. cautum est, *ut Clerici, qui nihil habentes ordinantur, omnia, quae post Ordinationem compararunt, Ecclesiae conferant: tantumque de bonis, quae ipsis vel liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerint, faciant inde, quod eorum proposito congruit.* Idem esse statutum legimus can. XL. Apost., can. Antioch. XXIV. Dein eandem disciplinam firmarunt Greg. M. cap. 1. de testam. Concilium Lateranense III. cap. 7. aliaque Concilia. Demum Tridentina Synodus Sess. XXV. Reform. cap. 1. *Epicopis, aliisque Ecclesiastica beneficia obtinentibus omnino interdicit, ne ex reditibus Ecclesiae consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cum et Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent. Sed si pauperes sunt, ut pauperibus distribuant: eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa: imo quam maxime potest, eos S. Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia Seminarium extat, penitus deponant. Quae vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque beneficia Ecclesiastica tam saecularia, quam regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione observari, sed et ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit.*

Prob. II. Ratione. Clerici bonorum Ecclesiasticorum domini non sunt, sed meri procuratores. Ergo de bonis intuitu Ecclesiae adquisitis testari vetantur. Ergo etc.

Objectiones.

Objic. I. contra primam partem. Clerici de bonis Ecclesiasticis pro jure suo accipiunt sustentationem. Etenim *dignus est Operarius cibo suo*: Matth. cap. x. v. 9. et Lucae cap. x. *Nemo suis stipendiis militat*: ad Corinth. cap. v. Ergo Clerici privatis opibus aucti de Ecclesiasticis reditibus vitam possunt transigere.

R. Admtt. verba Scripturae in sensu explicando. Quare neg. conseq. et respond. Merces enim illa, ille cibus, illudque stipendium, de quibus Apostolus, et Evangelistae loquuntur, non est Clericis loco pretii, sed est veluti merum, putumque vitam sustentandi subsidium; alias Clerici ex Evangelio quaestum facerent; id quod ab Evangelii sententia longe abest. In illis enim militis, et operarii cum sacris ministris comparationibus tantum spectatur sustentatio operario, aut militi debita, minime vero merces, aut stipendium veluti laboris pretium; uti recte observat Estius Comment. in I. ad Timoth. cap. v. v. 18. Et sane nec a contextu avulsa Christi sententia interpretanda est. Equidem Christus legem de alimentis ex Evangelio percipiendis non ante pronunciavit, quam Apostolos adduxisset, ut omnibus relictis, potius exempla, quam praecones essent Evangelicae paupertatis. In quo etiam constitutus Apostolus Paulus sibi, ceterisque Apostolis, qui sua omnia reliquissent, jus ad alimenta ex Evangelio habenda magnis argumentis adseruit.

Inst. Clerici nullis opibus aucti ex concessis possunt de bonis Ecclesiae vitam ducere. Ergo possunt etiam iisdem parcere, et proventus privatos augere.

R. Dist. conseq. si illud stipendium esset merces uti pretium, conc. si esset uti subsidium, nego. Responsio ex distinctione patet.

Objic. I. contra secundam partem. *Ex can.* XL. *Apost. ex L.* XLII. *C. de Episc. et Cler., et Novell.* CXXXI.. Episcopi, et Administratores Ecclesiarum, et Xenodochiorum tantum intestabiles facti sunt: reliqui vero Clerici ex *Novella* CXXIII. de rebus quodammodo quaesitis testari poterant, etiamsi sub patria potestate essent, tanquam si bona illa essent instar peculii castrensis. Ergo etc.

Resp. Dist. ant. eo quia bona Episcoporum, et Administratorum, non vero Clericorum ex reditibus Ecclesiasticis comparata erant, conc. secus, neg. Itaque inter Episcopos, Administratores, et Clericos haec videtur differentia intercedere. Episcopi enim, et rerum Ecclesiasticarum Administratores facile ex reditibus Ecclesiarum multa poterant sibi facile comparare. Hinc jure, meritoque ab utraque potestate facti sunt intestabiles. At reliqui Clerici, utpote quotidianis ad necessitatem sportulis viventes, non multum ex bonis Ecclesiasticis adquirere poterant, ut iis testamenti factio interdiceretur. Ergo si Clerici testamentum jure condunt, id ex eo provenit, quia eorum bona vel patrimonialia erant, vel aliunde quaesita.

At dices. Synodus Carthaginiensis III. veluti rerum Ecclesiasticarum invasores et Episcopos, et Clericos damnavit.

Resp. Synodum spectasse Clericos, qui rebus Ecclesiasticis procurandis operam navabant; non vero eos, qui tantum altaris servitio mancipati solas alimentarias sportulas accipere solebant.

Objic. II. Alexander in Conc. Lateranensi III. cap. 12. Clericorum morem, quo per testamentum nonnulla ex Ecclesiae reditibus sibi quae-

sita disponebant, vocat consuetudinem non improbandam. Ergo etc.

Resp. distin. ant. disponebant ad pias causas, quibus fiebat, ut ad ipsas Ecclesias Ecclesiarum bona derivabant, conc. secus, nego. Responsio ex distinctione liquet.

Objic. III. Clericorum testamenta, quibus Clerici de suis bonis quocunque modo quaesitis disponunt, hodie non improbantur. Ergo etc.

Resp. dist. ant. in foro contentioso ad lites evitandas, conc. in foro interno, seu in foro *Conscientiae*, uti dicunt, a quo hujusmodi testamenta uti injusta damnantur, nego. Itaque Canones, qui vetant Clericos de bonis Beneficiorum in profanos usus, aut in propinquorum favorem disponere, absit, ut etiamnum obligationem non pariant. *Nemo se seducat; Deus non irridetur.* Ita Christianus Lupus apud Espenium Part. II. tit. XXXII. cap. 7. n. 32. Igitur si testamenti factionem habent Clerici, idque ferme ubique obtinet, hoc receptum est, tum quia Clericorum bona profectitia a bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus non tam facile discerni possunt: tum quia quam maxime elaborandum est, ut lites, litiumque odia evitentur. Igitur Clerico egregie cordato hoc jure minime utendum est.

Ergo quid erit, si Clericus decedat ad intestato? Resp. Bona illius ad Ecclesias, quibus profecta sunt, revertant necesse est: dummodo qui ei succedunt, non sint indigentes. Bona enim Ecclesiae sunt patrimonia pauperum.